

N

Diese being.

all

not

MERCVRII GALLOBELGICI,
M. GOTARDO ARTHUSIO p. m. Suc-
CENTVRIATI,

Sive

RERVM IN
GALLIA ET BELGIO PO-
TISSIMVM; HISPANIA QVOQVE,
ITALIA, ANGLIA, GERMANIA, VNGA-
ria, Transylvania, vicinisq; locis, à nundinis Francofor-
diensibus 1627. autumnalibus, ad vernaes
vsq; anni 1628. cum primis gestarum,
HISTORICÆ NARRATIONIS

continuata,

TOMI DECIMI SEXTI,
LIBER QVARTVS.

Verè & fideliter conscriptus per

GEORGIVM BEATVM Fr.

Ph. M. & Not. publ. Cæsar.

Cum S. Cas. Majest. Privilegio Speciali.



FRANCOFVRTI,

Sumptibus vidua Sigismundi Latomi, Anno 1628.

M. GOTTFR. ARTHUR P. H. G. G.

M. GOTTFR. ARTHUR P. H. G. G.

CENTRAL

R. F. R. V. M. I. N.

GALLIA T. BELGIC. PO.

T. R. S. I. M. V. M. I. N. O. V. O. V. E.

L. A. L. I. A. A. N. G. L. I. A. G. R. A. M. A. N. I. A. V. N. E.

M. T. R. I. S. T. R. A. T. I. O. N. I. S. T. A. N. D. O. L. O. R. I. S.

M. T. R. I. S. T. R. A. T. I. O. N. I. S. T. A. N. D. O. L. O. R. I. S.

M. T. R. I. S. T. R. A. T. I. O. N. I. S. T. A. N. D. O. L. O. R. I. S.

M. T. R. I. S. T. R. A. T. I. O. N. I. S. T. A. N. D. O. L. O. R. I. S.

M. T. R. I. S. T. R. A. T. I. O. N. I. S. T. A. N. D. O. L. O. R. I. S.

M. T. R. I. S. T. R. A. T. I. O. N. I. S. T. A. N. D. O. L. O. R. I. S.

M. T. R. I. S. T. R. A. T. I. O. N. I. S. T. A. N. D. O. L. O. R. I. S.

M. T. R. I. S. T. R. A. T. I. O. N. I. S. T. A. N. D. O. L. O. R. I. S.



M. T. R. I. S. T. R. A. T. I. O. N. I. S. T. A. N. D. O. L. O. R. I. S.

M. T. R. I. S. T. R. A. T. I. O. N. I. S. T. A. N. D. O. L. O. R. I. S.





MERCVRII GALLO-
BELGICIM. GOTHAR-

D O A R T H V S I O P. M.

SUCCENTURIATI,

TOMI XVI. LIBER IV

EO R V M, Q V Æ à N V N D I N I S

Francofurtanis Anni 1627. autumnu li-

bis, usque ad nundinas vernaes anni

1628. memoratu digna acciderunt,

relationem conti-

nens.

P A X T V R C I C A.



V M ab eo tempore, quo Anno
inter duos potentissimos Im-1627.
peratores, priores pacis con-
clusiones, Situatorkienses ni-
mirum, Viennenses, Comaronienses atq;
ultimo Gyarmarzienses, sancitæ certiq; su-
perinde articuli editi fuissent: multifariæ
ab vtraq; parte, & contrariæ difficultates
interuenissent, quibus memoratæ pacis

A 2

SON-

conclusiones nō parū turbatæ & impeditæ
 fuere, Videntes duo isti Potentiss. Impp.
 miseræ & afflictæ plebeculæ intolerabiles
 calamitates, misericordia ducti in id ani-
 mum induxerunt, vt prioris pacis conclu-
 siones denuo restaurarētur, illisq; cōtraria
 quæ hactenus intervenerunt, impedimen-
 ta bonis modis complanarentur.

Idcirco nos certos Commissarios ambo-
 entiss. Impp. delegarunt abvtraq; par-
 te, quorum opera hæc in optatum finem
 deducantur, vtpote à parte potentiss. Fer-
 dinandi Secundi, Romanorum Imperato-
 ris, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ,
 Dalmatię, Croatię, Sclauonię Regiæ Ma-
 iest. &c. Reverendiss. Stephanum Sennicy
 de Kys Sennye, Episcopum Vacziensem,
 suæ Imperatoriæ Maiest. Consiliarium, &
 per Regnum Hungariæ Aulæ Cancellari-
 um; Spectabilē ac Magnif. Gerhardum à
 Questenberg liberum Baronem, ac suæ
 Cæsareæ Regiæque Maiest. Consiliarium
 Bellicum, Magnif. Danielelem Esterhasi de
 Galantha liberum Baronem, ac suæ Cæs.
 Regiæque Maiest. Consiliarium; Magnif.
 item Petrum Cohai, liberum Baronem,
 sæpè fatē suæ Maiest. Consiliarium, ac præ-
 sidiorū Cis Danubianorum Vice Genera-
 lem. Ab altera vero nempe potentis. Me-
 cha,

thæ, Medinæ, Hierusalem, multorumque aliorum Regnorum Turcarum Imperatoris, Sultan Murat Han parte, & mandato eiusdem plena potestate concessa; Cismaritimorum Exercituum supremum Herdar, & Czarum Vezir Budæ Locumtenentem, & huius Sanctæ pacis tractationis in persona sui principalis, supremum Commissarium Spectabilem ac Magnif. Vezerium Murtezam Bassam, in cuius absentia eadē plena potestate expeditos eiusdem potentissimi Imperatoris Commissarios, Magnificum Budensem Mudsei Isua Effendi, Magnificum Mehemet Bassam Agriensem Magnificum Ahmet Beghum Strigoniensem; Magnif. item Mazarem Beghum Szosnakiensem, & Grikan Asab, Agam Budensem (præsente Serenissimi Principis Transylvaniæ homine Generoso Michaele Soldolaghi de Ercte, Iudice Regio sedis Suiculicalis de Murus) qui in Campo Sréoniensi congregati Anno Millesimo Sexcentesimo Vigesimo septimo, mense Septembri, post diuturna consilia, plurimosque labores, in hos subsequentes pacis articulos condescendimus, atque in eis conqueuimus.

ARTICVLVS I.

Omnes & singulæ ad Sanctam pacem

A 3 spe-

ſpectantes conſuſiones, earundemq; Articuli, videlicet Simatorkienz. Viennen. Comaronienſ. & demum Gyarmartiennes, qui ante hac facti & conſuſi ſunt; iamque aliter editi aut renovati nō ſunt, in omnibus partib⁹, clauſulis & punctis permanant, ſanctēque & inuolabiliter vtrimque obſeruentur.

ARTICVLVS II.

Siquidem inter nos Deputatos Commiſſarios, certis rationibus Negotiū Vaicziense, pro nunc in finem deduci non potuit, potiffimum ob Arcem Boludvar; ſic in eo conuentum eſt, vt hoc negotium per modernas ſolennes Legationes, in Aulis Potentiſſ. Imperatorum effectui mandetur. Et ſi quo pacto hiſce quoque legationibus finem ſuum conſequi non poſſet; hoc non obſtante, tam diu alma hæc pax ab vtraque parte ſanctē obſeruetur, & Vaczium quoque in eodem ſtatu permaneat, donec potentiſſ. Impp. de hoc negotio ſinalem reſolutionem fecerint: juxta eontinentiam Articuli quoq; Gyarmathiensis.

ARTICVLVS III.

In limitibus Croatiae quod ab vtraque parte erectarum noviter Palankarum demolitionem concernit, quæ contra conſuſiones pacis erectæ fuerunt, Confirmatur ter-

tur tertius Articulus Gyarmathiensis, ita quidem vt decimo post commutationem Legatorum vtrimque mittendorum die, nempe Mensis Ianuarij Anni sequentis Millesimi sexcentefimi vigesimi octavi; die duodecima; confestim rem aggrediantur, & in finem quoque deducant, vtrimque ad id destinati Commissarij: Nimirum à parte potentiss. Rom. Imp. Spectabilis & Magnif. Comes, D. Nicolaus à Tersacz; ab altera vero potentiss. Turc. Imp. parte, ex ordinatione spectab. & Magn. Murtezæ Bassæ, Vezirij Budensis Magn. Mehemet Bassa Agriensis. Quod si illi ob aliqua certa, & notabilia impedimenta interesse non possent, alij idonei ab vtraque parte Commissarij ordinandi erunt.

ARTICVLVS IV.

Posteaquã hæc sancta pax, per DD. Commissarios, inter duos istos potentiss. Impp. conclusa fuerit: Ambo Impp. per viros primarios è loco istius tractationis, in præsentia DD. Commissariorum, mutuo se certificent, missis vtrimque sigillis Commissariorum roboratis Pacis conclusionibus, vt eas vterque potentis. Impp. pariter confirmet; Quæ quidem postea sub sigillis vtriusque Impp. ad manus supremorum legatorum assignabuntur, & ab vtraque

parte æquivalentia dona, licet non adeo gravia, mittentur. Post modum infra spatium quatuor Mensium expediendæ erunt solenniores legationes, cum præfatis & confirmatis Pacis conclusionum Diplomati- bus, ita quidem vt ad sequens Nativitatis Christi Dni, Festum, Potentiss. Ottomanorum Imp. legatus Strigonium; è contra potentiss. Roman. Imp. legatus Comaronium, veniant, illincque mutua inter se habita intelligētia secunda die Ianuarij Anni 1628. legatus Rom. Imp. mittendus, ad Pagum Szeöny dictum, Turc. vero Imp. legatus ad Almas sese conferant, atque inter duos Pagos, in communi æquali loco, simul & semel commutatione facta; alter quidē vtpote Imp. Turc. legatus, ad Rom. Imp. condignis honorarijs pergat, Alius vero potentiss. nempe Rom. Imp. legatus æquivalentibus muneribus ad Portā proficiscatur.

ARTICVLVS V.

Quod autem Pagos dediticios eorumq; querelas plurimas, calamitates, iniurias, census ac contra pacificationem ab vtraq; parte erectas Palanchas, Nobilesq; in pagis deditijs habitātes concernit, ac præterea, eo quod nonnulli ex ijs recenter, ac denuo violenter, vel quovis alio modo, post, & contra

contra priores conclusiones occupati, & ad deditioem; Censuumq; pensionem coacti sunt, ab vtraque parte iuxta priorum conclusionū, Sittatorkiens. nimirum 16. Viennens. 3. Gyarmathiensis 4. nec non Comaroniensis continentiam & Articulos rectificentur: Ita quidem vt ex parte Potentis. Roman. Imp. duo è numero Magnatum Commissarij ordinentur, quorum vnus ad partes Hungariæ Trans Danubianas, alter ad Cisdanubianas mitti debeant, Ex parte item potentis. Turc. Imp. duo Capuzij Bassæ, alter ad Partes Trans Danubianas, alius Cis Danubianas mittantur ex Porta. Et hi in certo aliquo communi loco congregati, cum sibi adiunctis, quos D. Regni Hungariæ Palatinus, & Vezzer quoque Budensis ordinabunt; omnes difficultates rectificent, & in optatum finem deducant, ita vt vtrique parti satisfactio fiat. Pagorum autem dediticiorum, Census & contributiones nulla ratione adaugeantur, donec memorati Commissarii convenientes easdem in bonum ordinem redigent. Ad quam quidē Commissionem deputati D. Commissarii, ab vtraque parte Anno sequenti 1628. 12. Ianuarii negotium aggredientur.

A S ARTI

ARTICVLVS VI.

In negotio Captivorum ita conventum est; vt captivi qui sub modernis induciis, per D. Regni Hungariæ Palatinum, & Vezarium Budensem conclusis, intercepti sunt, ab vtraque parte gratis, absque vlla lytri solutione dimittantur. Qui autem præter hos reperientur, singulos Captivos pro singulis commutando; liberentur. Si qui autem lytro redimendi erunt, id fiat competenter, quod Dominus Regni Hungariæ Palatinus cum Vezario Budensi complanabunt.

ARTICVLVS VII.

Siquidem in termino prioris Pacificationis novē tantum anni restant, pro sublevamine miseræ & afflictæ plebis, placeat quidem D. Commissariis vt hæc Sancta pax 25. annorum spatio à parte vtriusque potentis. Impp. prolongaretur. Nihilominus ambo Impp. per modernam solennem legationem determinant, an Viginti quinque pluribus, vel paucioribus Annis eandem durare voluerint, & hoc quidem ipsimet potentis. Impp. hisce pacificationis diplomatibus inserant.

ARTICVLVS VIII.

Quod excursionū inhibitionem & Negotiatorū liberum passum ac securitatem
con-

concernit, vt ab vtraque parte potentis. Impp. Regna & Provinciae in pace permanent; confirmantur priores articuli in omnibus punctis. Qui autem contra hos deliquerint, eos Generales, Bassae Beghi ab vtraque parte puniant, quos si ipsi punire non possent, ex parte Potentis. Rom. Imp. D. Regni Hungariae Palatinus; ex parte autem Turcarum potentis. Imp. Vezzer Budensis, severe, ac sine misericordia in tales animadvertat, simul etiam in eos quorum consensu ac voluntate similia quae pacem turbare possunt, impedimenta acciderent.

ARTICVLVS IX.

Cum frequentes officiorum mutationes impedimento Sanctae paci esse possint, in Confiniis Capitanei Bassae Beghi, & alii officiales pacis amantes, miseraeque plebis ac subditorum defensores habeantur, talesque in suis officiis & vocationibus diu conseruentur, Spect. autem & Magn. Murteza Bassa, Vezzer Budensis, hanc sanctam pacem (quae ipsius quoque opera interueniente conclusa est) observans & custodiens, diu in officio permaneat.

ARTICVLVS X.

Regna & Provinciae potentis. Rom. Imperatoris, terrestres & Maritimae, a potentis.

rentis. Turc. Impper. & ab eiusdem exercitibus non molestantur; pariter Regna & Provincia potētiss. Turc. Imp. terrestres & maritimæ à potentis. Rom. Imp. & ab eiusdem exercitibus non infestentur.

ARTICVLVS XI.

Præter hæc commemorata negotia omnis generis damna, iniuriæ, cædes, rapinæ, si quæ ab vtraque parte, contra expressos Suatirkienſſ. Viennenc. & aliarum conclusionum articulos, vsque ad modernam pacificationem accidissent; & ob certas causas perpetua oblivione delebuntur, Modernæ vero conclusiones ab vtraque parte in omnibus punctis & clausulis, absq; vllō defectu ab omnibus statibus & ordinibus sanctè observabuntur.

In quorum omnium fidem, &c.

RELA-

RELATIO NOVA

De ingenti horrendo TERRÆMOTU,
qui in Apulia Regni Neapolitani pro-
vincia die Veneris 30. d. Iulii st. nov. an.
Epochæ nostratis 1627. fuit, & qui
multas vires, castella itidem non pau-
ca &c. evertit, 17000. & quod excedit,
hominibus mortē intulit, aliaq; stupen-
da causavit.

*Italicè ante hac descripta à Ioh. V.
de poardi Bononiense.*

Citiùs equidem horrendum illum Ter-
ræmotum quo 30. d. Iulii anno 1627. die
Veneris tota ferè Apulia miserè afflicta fu-
it, typis exscribendum dare debuissem: ac
casuum qui intervenère multitudo rela-
tionisque varietas me ita dubium reddide-
runt vt cui crederem; aut vnde scribendi
initium facerem non habuerim; hinc fa-
ctum est vt à proposito desistere mecum
cogitârim. Amicorum tamen litteræ fide
plusquam dignissimæ aliud suaserunt, me-
que postmodum coëgerunt, vt, quod mihi
antè constitueram, denique effectum da-
rem.

Dictus igitur Terræmotus horâ decimâ
sextâ (nobis hor. 12. meridianâ) incepit, &
quan-

quanquam quinque horas duraverit, primus tamen impetus tantus fuit ut bonam statim Apuliæ partem in eaque peculiariter urbem, cui à S. Severo nomen est, devastarit, magnumque ædium, palatiorum ac turrium numerum, ita, ut ne quidem ipsarum vestigium appareat, nec locus à loco, platea à platea, aut domus à domo discernatur, pessundederit. Atque in hac ruina omnes ferè urbis incolæ qui tunc temporis in vrbe erant, extincti sunt, sic ut tantum non & ii qui foris circa cerealia occupati erant ad plures abiissent, primo hoc Terræmotus insultu nemini inducias aut fugiendi tempus largiente.

DN. VENTURI loci huius Episcopus vel in medio ruinæ (nescio annon mirificè & ex singulari Dei providentiâ) illæsus mansit. eo enim à prandio ob tuberculû in crure lecto vel accubitu parum incumbente in momento cubiculi structura disrupta est, eiusque tegumentum decidit, prætereà & murus post accubitum magnû detrimentum accepit, ipso nil quicquam adversi in corpore suo patiente, tametsi duo, non quidem Officiales aut Curiales, ex eius familiâ perierint.

Omnes etiam Moniales salvatæ sunt præterquã quod vna sola spiritum efflaris
& quin-

& quinque vulneratae sint. Illae ne in gravio-
riorem perniciem inciderent à Vicario E-
piscopi Generali in rus ductae sunt, vbi ipsa-
rum pastor erat, ibi postquam ad dies ali-
quot commoratae essent nesciae quo se ver-
terent, victus inopia conflictatae à quibus-
dam Luceriam (quae vrbs 12. miliaribus
nec dum à terrae motu multum nocumen-
ti senserat) inhabitantibus invitatae sunt,
quo tunc temporis se omnes simul contu-
lere: Episcopus à domino Pozzo Capituli
istius thesaurario, Moniales ab aliis mulie-
ribus certatim in aedes susceptae sunt. Pau-
cis tamen post diebus & incolae ipsius o-
mnes patriam fugere rurique ob summos
ac horribiles terrae motus, queis de novo
vexabatur, se concredere coacti sunt.

Insuper in cœnobio Monachorum Cœ-
lestinorum duo vitam finire, multi mu-
tilati, ac ipsum cœnobium in nihilum re-
ductum est.

Patres Capuccini omnes incolumes e-
vasere, postquam tamen in rus venissent,
& monasterium ipsorum pessum ivit.

Hoc Terrae motu non solum vrbs S. Se-
veri ruinam vidit, sed etiam tota Apulia in-
de percussa est, sicuti oppidum quod Ter-
mini appellatur, ultra medietatem destru-
ctum iacet.

Sarra

Sarra Capriola prorsus deleta est.

Sancti Pauli, pagus Albanensium, mons saxeus factus est.

Turris Maior, locus in principis de Sancto Severo ditione situs tantum non omnimodo dirutus est.

Castelli Novi, eiusdem principis, vix tertia pars restat, & cum princeps se cum suis huc in arcem quæ munitissima est, contulisset, ipse quidem cum quibusdam salvus in rus venit, alii a. ipsius ministri interiere, alii mutilati sunt.

In Rignano vbi Jesuitæ latitant maxima ædium pars, cum multorum interitu, corruit.

Dragonaria in illius eiusdem principis territorio sita penitus everfa est.

Idem sancti Lyandri oppido, quod ad Dominos à Calapressa spectat, contigit.

In Abbatia Melanicana patriarchæ de Sangro templū collapsum est; ita & illud quod in Ripa Alta fuit, à Voragine devoratum esse fertur. Procina cum inhabitantibus suis planè pessum ivit.

Urbes sequentes, Alscolum, Bovinum, Troia, Tranium, Andria, Foggia, Fortore, Campus marinus, Remitium, Histonium Franca villa, Hortona, Anfanum, Casilinum, Teregnola, Canusium, locaque
alia

alia multa tam personarum quàm rerum iacturam haut levem fecere, ita ut oppida, pagi, castra &c. numero 17. hominum verò vitra 17000. esse desierint. Extendit se hic terræmorus ad 200. miliaria Italica.

Hac in ruina multa & notatu & admiratu digna acciderunt, quorum aliqua quæ in contentione minime posita sunt, enumerabo.

Procul à lacu Lesinensi qui multas horas sine aqua fuit, pisces reperti sunt, vnde dictum fuit: furorem terræmorus lacus fundum bis elevasse: alii terræmorum voragine sua urbem Lesinam prope locum dictum absorbuisse scribunt.

Mons, in tres partes à tribus voraginibus horrendis divisus est.

Roseti terra ad 12. miliaria aperta fuit.

Multi putei etiam profundissimi non solum aquam sed, & terram eiecere.

In vrbe S. Severini inventus fuit infantulus vivus mammis matris suæ adhærens & lac exugens.

Campana quædam supra infantem cadens ipsum non solum non offendit, sed ab omni malo etiam defendit.

Repertum præterea inter rudera est dolium in quo mulier atq; puer viventes adhuc visi sunt.

B

Cleri-

Clericus quidam campanile ascendens in angulo eiusdem mansit & cum reliquæ campanilis partes decidissent, nec quisquæ clerico opem ferre potuisset, intra triduum miserè fato concessit.

Canonicus cum ædes suas ruinam pati videret, in summo quodam loco existens & auxilio destitutus intra biduum occubuit.

Porro etiam scribunt Cheateæ terræmotum integram sylvam, ita ut ne quidem ulla arbor restiterit, eradicasse.

Prodigia & casus multi alii sese manifestasse ferunt, at eorum nondum certior factus hic subsisto, posthac ubi omnis dubitandi ansa adempta fuerit plura foras daturus. Interim quilibet sibi caveat, animæ suæ bene consulat nec non iram divinam fugiat.

Magnâ tempestas Nissa.

Quam horrenda prodigia & portentosa hoc anno omnibus propemodum locis, nec non terræmotus, tonitrua & fœdæ tempestates acciderint, nemo est, qui nesciat. Similis tempestas Nissæ in Silesia 9. Septembr. incubuit, quæ duas horas cū magno omnium pavore duravit. Turris Curriæ aliquot locis fulmine tacta, & in superiori parte combusta, corruit, multumque damni dedit.

Eodem

Eodem tempore in aliis locis magna D
 strages ab aquis intumescens edita, in
 præsertim in Franconia, ubi rupta nube
 tanta vis aquarum decidit, ut in aliquot pa-
 gis domus everse; homines cum pecudi-
 bus submersi; agri, prata & vineæ vastatæ,
 ac lapidibus incredibili modo completæ
 fuerint. Tunc incolæ Buchenbacenses i
 magno periculo versabantur. Nam iuxta
 eò usque excreverat, ut pagum inundaret,
 nec alter alteri subvenire posset, tantusque
 erat undarum spumantium strepitus, ut
 nemo vocem & clamorem vicini exaudi-
 ret. Multum quoque detrimenti ea tem-
 pestas pago Berzhoviano attulit. Nama-
 quæ, quæ duorum hominum altitudinem
 superabant, duas domos cum horreis & o-
 mnibus, quæ in iis erant, vno momento ex
 improvise abripuerunt, alias cum villis &
 hortis miserè dilacerarunt. In quandam
 domum, in qua vir erat cum vxore & filia,
 tanta vi irruerunt, ut mensa in hypocau-
 sto nataret, & incolæ ad supremam conti-
 gnationem evaderent. Interea domus vor-
 ticoso aquarum impetu abripitur, homini-
 bus in eas prolabantibus, ex quibus pater-
 familias sesquimilliarum infra eum pagum ex-
 animis in iuxta repertus; mater vero &
 filia quadrante milliarum, à lignis & lapidi-

bus toto corpore contusæ. Filium sedecim plus minus annos natum aquæ vis magno impetu per hortum avexit. Ipse vero inter tumidos fluctus fasciculum straminis arripuit, quo aliquandiu se sustentavit. Paulo post horrendo tonitrus fragore consternatus, fasciculum suum amisit. Interea clamore & precibus Dei atque hominum opem imploravit. Sub id ingens trabs supra tergum ipsius vehitur, & ad caput eius allidens, magnum illi vulnus impingit: quæ ipse correpta, ei innititur, & versus molatrinam secundo amne trans aggerem delatus, sublata voce auxilium poscit: Molitor cum famulis accenso stramine, quia continuæ pluvix alia lumina extinguebant, accurrit, ipsumq; per Dei gratiam periculo eripit, cum miser adolescens ab hora decima vespertina vsq, ad tempus matutinum in aquis hæssisset. Alia domus aquarum mole oppressa: in qua puer bimulus cum cunis à matre avulsus, postmodum sine illis mortuus repertus fuit. Multis præterea locis, vt Stettini, Marsbaci, Kunzelaviæ, Grishaci, Heimhusii hæc tempestas magnam cladem intulit, vbi plurimi homines cum armentis & gregibus aquis absorpti perierunt.

Eodem mense tale mandatum à S. Cæs.
Maieſt.

Maieft. promulgatum fuit: Nos Ferdinandus I. Deigratia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, & Boemiæ, &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiæ, Stiria, Carinthia, Carnia, Wirtembergæ, ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Marchio Moraviæ, ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Comes Habſpurgi, Tirolis & Goricii, &c. Satis ſuperque notum eſt, Concionatores in hoc noſtro Archiducatu Austriae infra Onaſum, qui Auguſtanam Confessionem profitentur, ſub prætextu exercitii modò dictæ Confessionis, quod duobus ſuperioribus Ordinibus Politicis, Confessionis illi addictis, fervente rebellionem & militum delectu, ad instantem ipſorum flagitationem, conceſimus, in ſuis concionibus, exhortationibus & cæremoniis maledictam ſectam Calvinianam ita immiſcere, & animos eorum, qui illi adhærent, ſibi cõciliare, ut qui Calvinismũ palàm & apertè profitentur, conciones ipſorum libenter frequentent, audiant, Sacramenta ab ipſis accipiant, & cùm doctrinã tum ritibus eorum prorsus acquieſcant: qua ex re ſubditi & vulgus propter illam fidei confuſionem, quam concionatores, ut dictum eſt, ſub ſpecie Confessionis Auguſtanæ invehunt, imprudentes in

Generale
Mandatum
quo concio-
natores &
Iudimagi-
ſtri ſectarii
atq; à Ca-
tholica reli-
gione alieni
caſ. Maie-
ſtatis hare-
ditario Ar-
chiducatu
infra Ona-
ſum faceſſe-
re jubentur,
dat. 14. Sep-
temb. 1627.

tes in graviores errores inducuntur, & inter se permiscuntur, ac tandem à Deo & naturali supremoq; suo magistratu & hæreditario provinciæ Domino abstrahuntur, & in æternū animarum exitium præcipitantur: dum concionatores isti in modò dictis suis concionibus, exhortationibus, scriptis, litteris & publico datis libris, tractatibus & glossis contra nostram Catholicam & solam salvificam religionem, atq; adeò Nos aliosq; Ecclesiastici & Politici, summi & infimi ordinis homines, impudentes calumnias, convitia & scommata effundere non verentur: nostris hæreditariis & à Deo nobis commissis subditis persuadere conantur, quòd nobis nostrisq; piis & legitimis edictis parere non teneantur: fœderationū hostilium, illicitorum conventuum, pravorum consiliorum, seditionum & rebellionum auctores sunt: ea, quantum in ipsis est, instituunt, promovent, & quantum possunt, clam & apertè fovent: vim ab exteris & ex S. Imperio proscriptis perduellibus alijsq; manifestis hostibus inferendam audacter minantur: religionis suæ socios, ut hostium & adversariorum nostrorum opem implorent, exstimulant: debitum obsequium & honorem nobis subtrahunt: Nos idolatriæ, cui penitus dediti simus, falso,

falso, libris publicè editis, infimulant: subditos ex urbibus & agris, qui ad ipsorum paræcias non pertinent, nullo iure, & contra nostrâ nostrorumq; summè honorandorum maiorum disertam inhibitionem, cum summo Ordinariorû damno & præiudicio ad suum Exercitium alliciunt: palàm & rotundè fatentur, se nullum Sacramentum conficere posse, nec velle; fervidis suis scriptis assiduè intonât, debacchantur, classicum canunt: publicè precantur, & auditores ad precandum hortantur, vt Deus hostibus nostris prosperos successus largiatur: vt imagines Sanctorum Apostolorû Petri & Pauli à suis ludimagistris impunè comburerentur, permiserunt: de Confessione Augustana id tantùm credût & sentiunt, quod fanaticus ipsorum spiritus probat: animos subditorû contra Nos Principem ipsorum & hæreditarium provinciæ Dominum variis modis exacerbât, & Catholicis passim magnam vim atq; iniuriam inferunt. Quapropter cùm ex clementi & paterna cura, in primis autem ex eo, quod Nobis, tanquam provinciæ Domino ac Principi incumbit, officio, hunc Nobis à Deo commissum hæreditarium Archiducatum Austriæ in pace, concordia & sincera amicitia atque animorum con-

iunctione conservare summopere cupiamus & ardentè desideremus : quòd quãdiu huiusmodi seductores, calumniatores, convitiatores & tumultuum incentores in provincia manent, perficere & exequi non possumus : has ob causas & propter multa alia gravia ipsorum delicta, quæ pœnã merentur, decrevimus vt omnibus & singulis supradictis concionatoribus, & qui ipsis adhærent, ludimagistris, in hoc nostro Archiducatu Austriæ infra Onasum, à die, qua publicum hoc mandatum dedimus, exercitium concionandi, Sacramenta administrandi & Scholas habendi, sive in arcibus, provincialium oppidulis, pagis, vicis, villis, molis, sive in aliis locis modò dictæ provincie, vbiunque sita sint, aut quocunque nomine appellentur, quam primùm & de facto sub severa & indeprecabili pœna interdiceretur & aboleretur : vtque ipsi universi & singuli à dicta die vsque ad 28. currentis huius mensis Septembris, ex hoc nostro Archiducatu certò & infallibiliter excederent, & quocunque vellent, (exceptis omnibus nostris regnis & provinciis hæreditariis) migrarent, neque vnquam vel ipsi eiectioni, vel alii eiusdem farinae concionatores & ludimagistri in hunc nostrum Archiducatum Austriæ sub inevitabili pœna carceris

ceris aliisque; severis animadversionibus redirent, & pedem illic ponerent. Ut autem ipsi cum suis tuto ex hac provincia migrare, atque iter facere possint, singulari Cæsarea & Archiducali gratia annuimus, ut ministris & ludimagistris, qui in regione infra silvam Viennensem cōmorati sunt, à Consule, Præfecto & Senatu urbis nostræ Neostadii; in regione autem supra eam silvam, à Præfecto & Senatu urbis nostræ S. Pælten; item, in regione infra montem Mainhardi, à Præfecto & Senatu civitatis nostræ Cronenburgensis; denique in regione supra illum montem, à Consule, Præfecto & Senatu oppidorum nostrorum Cremsii & Stainii litteræ salvi conductus nostro nomine tradantur: qua de re iam magistratibus singulorum locorum mandata dedimus. Secundum hæc omnibus & singulis nostris provincialibus, apud quos hactenus supradicti concionatores & ludimagistri sedem ac domicilium habuerunt, clemēter & seriò interdicimus, ne vel ipsi vel alius quicumque, sive vir, sive fæmina, siquidem summam nostram indignationem & pænam evitare velint, eos deinceps vllum apud se concionandi aut aliud quodcumque exercitium peragere patiantur, neque ipsis ultra præscriptum tempus vlllo modo, clam

B s vel

vel palàm, hospitium præbeant. Nam si quis vllum ex istis concionatoribus aut ludimagistris, vltra præscriptum terminum, clam vel apertè detinuisse comperiatur, aut vel minimū contra ipsorum dimissionem machinetur, eamque impedire conetur, is pro ratione prævaricationis & gravitate delicti, omnibus suis fortunis in exemplum, quod alii reformident, mulctabitur: aut, si facultatibus destituatur, alia pæna pro nostro arbitrio afficietur, neque vlli hac in parte parcetur, aut excusationi alicui locus dabitur. Quoniam etiam ad Nos relatum est, cūm alibi in tota provincia, tum vel maximè in nostra vrbe Vienna periculosa, & quæ hæreditarios nostros subditos ac provinciæ incolas minimè decent, conventicula, sub aliorum conventuum & negotiorum prætextu, haberi, in quibus ea proponantur, tractentur & decernantur, quæ non tantūm nobis, supremo ipsorum magistratui ac Domino, palàm adversentur, sed etiam ad communis patriæ & Germanicæ nationis præiudicium, damnum & exitium tendant: iccirco districtè vetamus ac prohibemus, ne in posterum huiusmodi illicita & summè pernicioosa conventicula quocunq; nomine aut colore instituantur & celebrentur, ynumquemque, qui in hoc

nostro

nostro Archiducatu Austriae infra Onasum
degit, cuiuscunque ordinis & conditionis
sit, clementer monentes, & serio ipsi præci-
pientes, vt sub pæna amissionis omnium
bonorum, & aliis, quæ in transgressores e-
dentur, exemplis, ab iis prorsus abstineant.
Quocirca omnes & singuli sibi cavebunt,
ne in pænam incurrant, & damnum sibi ac-
cerfant. Ita sancimus, & hæc est nostra de-
cretoria sententia ac voluntas. Dat. in vrbe
nostra Vienna, 14. Septembr. anno Domi-
ni 1627. & regnorum nostrorum, Roma-
ni 8. Hungarici 10. & Boëmici 11.

*Ad Mandatum Sac. Cæs. Ma-
iestatis proprium.*

P. P. Clementissime Princeps & pro-
vinciæ huius Domine hæreditarie : Sum-
mo mærore accepimus, quo pacto Cæs. V.
Maiestas 14. Septembr. 1627. ad valvas
ædium provincialium, & Intzersdorffii in
arce, aliisque locis mandatum affigendum
curavit, quo omnibus concionatoribus in
Austria infra Onasum, qui Augustanâ Cõ-
fessionem profitentur, sub specie autem Exerci-
tium ipsi hætenus cõcessi, in suis cõcionibus,
exhortationibus & cæremoniis Calvini-
sticam sectam immiscent, ita vt Calvinistæ
conciõ-

*Humillima
supplicatio
Rectorum
Ecclesiarum
ad Cæs. Ma-
iestatem su-
per manda-
tum de dimit-
tendis con-
cionatori-
bus Evan-
gelicis.*

conciones ipsorum frequentent, audiant,
 Sacramenta ab ipsis accipiant, & prætereà
 omnis generis convitia, calumnias & scom-
 mata eructant, à die, quo mandatum illud
 datum fuit, exercitium concionandi, & lu-
 dimagistris scholastica institutio in provin-
 cialium arcibus, pagis, oppidulis, vicis, vil-
 lis & molis, in quibus modo dicti concio-
 natores & ludimagistri cōmorantur, pro-
 tinus & de factò, sub indeprecabili pæna
 interdicitur, & ipsi ante exitum 28. Se-
 ptembr. Archiducatu modò dicto omni-
 busque M. V. regnis & provinciis hæredi-
 tariis prorsus facessere iubentur. Cæterùm
 nunquam dubitavimus, quin Cæs. V. Ma-
 iestas eius facultatis, quam superioribus
 Ordinibus Politicis Augustanæ Confessio-
 nis clemētissimè concessit, & cuius in mo-
 dò dicto Mandato mentio fit, probè me-
 mor esset. Quod autem attexitur, istud sub
 prætextu Confessionis Augustanæ, ferven-
 te rebellionē, cū palàm militum dele-
 ctus haberentur, factum esse: Cæs. V. Ma-
 iestas, ut speramus, clementissimè recor-
 dabitur, eos Ordines, qui tunc temporis fi-
 dem dederunt, & quibus Cæs. V. Maiestas
 illam facultatem concessit, ne ynum qui-
 dem militem, ut de pluribus taceamus, ha-
 buisse: cuius etiam Cæs. V. Maiestas in suo
 decreto,

decreto, 11. Iulii, anno 1628. facto, nul-
lam mentionem facit. Quod autem sectæ
Calviniana vsq; adeo cætibus nostris se im-
miscere perhibetur, testamur coram Deo,
nullum, quem sciamus, alterutrius Ordinis
Politici in Austria infra Onasum esse, nec
de villo concionatore nobis constare, qui
Evangelicam Confessionem Augustanam
non profiteatur. Quòd si qui forte sectæ
illi addicti ad conciones ipsorum veniunt,
& eas audiunt, speramus, concionatores
propterea excusatos fore, quòd nō omnes
auditores norint, nec cuius religionis illi
sint, exploratum habeant: quam ob cau-
sam etiam non convenit, vt vnum aut al-
terum excludant. Nostri autem conciona-
tores, quantum nobis constat, nihil aliud
docent, concionantur & credunt, quàm
quod veræ, incorruptæ, & Cæsari Carolo
V. exhibitæ Confessioni Augustanæ & ri-
tualibus nostris libris consentaneum est:
qui etiam Calvinistas in publicis concioni-
bus semper oppugnarunt & refutarunt. Si
quis autē ad nos delatus fuisset, qui Ordi-
nes à Deo & naturali nostro Magistratu at-
que hæreditario Domino abstrahere co-
natus esset, nullam morā interposuissemus,
quin eum in iudicium adduxissemus, vt
capite & fortunis à Cæs. V. Maiest. plecte-
retur.

retur. Ut maximè autem, quod tamen nos ignorare, teste Deo, asseveramus, quidam hac in parte deliquisset, pœna non omnibus Ordinibus, sed ei, qui culpam admisit, irroganda videtur. Nunquam etiam Ordines passi sunt, ut convitia, calumniæ & icommata in quemquam effunderentur: multo minùs hostilium federationum, illicitorum conventiculorum, pravorum consiliorum, seditionis & rebellionis auctores fuerunt, neque ista clam vel aperte foverunt, aut exterorum & ex Imperio proscriptorum perduellium opem implorarunt: sicut nec cuiquam ludimagistro permiserunt, ut Apostolorum S. Petri & Pauli imagines combureret: quæ omnia si Ordines rescivissent, nequaquam impunita dimisissent. Contrà verò concionatoribus nostris iniunctum est, ut nihil præterquam quod S. Scriptura continet, doceant & in suggesto proferant, utque pro omnibus Christianis, totiusque S. Rom. Imperii, in primis Cæs. V. Maiestatis salute, felicitate & victoria contra omnes ipsius hostes precentur, & alios ad precandum hortentur. Quandoquidem igitur obsequentiissimi Ordines à Cæs. V. Maiestate in fidem accepti fuerunt, & ipsis nunquam in mentem venit, aliquid contra Cæs. V. Maiestatem

iestatem & inclytam ipsius domum susci-
 pere, aut moliri: contra verò illi vitam &
 fortunas pro Maiest. V. & domo Austriaca
 profunderè paratissimi sunt: adhæc reli-
 gionis libertatem, ab Imp. Maximiliano
 II. non violenta extorsione, sed fidelibus
 officiis & spontanea vitæ & fortunarum
 pro inclyta ipsius Domo profusione obti-
 nuerunt: de qua libertate, præter varia
 diplomata, quibus Imperat. Matthias,
 laudatissimæ memoriæ, eam confirmavit,
 Cæs. V. Maiestas Ordinibus per decreta
 28. Maij, & 8. Julij anno 1620. facta, ca-
 vit, atque insuper fidem suam primùm ore,
 deinde scriptis obstrinxit, heroice & ver-
 bis Cæsareis ac tanto Principe dignis pro-
 mittens, fore, vt Ordines in exercitio
 Augustanæ Confessionis, quale tempo-
 re Imperatoris Matthiæ habuissent, mini-
 me turbarentur: quod etiam responso 11.
 Julij 1620. dato, & Cæsareis atque
 Archiducalibus verbis prolato repetitum
 fuit: cui diffidere Ordines nefas esse du-
 xerunt: iccirco illi Cæsaream Vestram
 Maiestatem humilimè & obsequentis-
 simè orant atque obtestantur, ne ab ad-
 versariis nostris se permoveri, patia-
 tur, vt nobis innocentibus & inauditis
 tam gravis pœna infligatur, & sacro-
 sanctum

sanctum ipsius verbum retractetur, aut in
dubium revocetur: prout etiam illi sibi
certo persuadent, si C. V. Maiestas ipsorum
innocentiam perfectam haberet, eam non
concessuram, ut ipsorum conscientia grave-
tur, sed conceptam indignationem clemen-
tissimè deposituram, & liberum religionis
exercitium, quo hactenus gavisi sunt, por-
rò concessuram: quemadmodum etiam su-
pradictum mandatum Cæsareum non ali-
ter accipiunt, quàm ut illi concionatores,
qui se Calvinismi participes fecerunt, &
delicta, quæ in eo memorantur, commise-
runt, dimittantur: reliquis autem in pro-
vincia manere, & conciones habere liceat.
Quod autem V. Cæs. Maiestas obsequen-
tissimos suos subditos hereditarios monet,
ne quid contra hanc dimissionem tentent
aut moliantur, néve periculosa & illicita
conventicula, quæ Cæs. V. Maiestati, tan-
quam Magistratui & Principi nobis à Deo
immediatè præposito, qui huiusmodi fa-
ctiosas coitiones prorsus vetat, adversan-
tur, instituant & celebrent: id ne Ordines
faciant, nunc & in perpetuum Deus cle-
menter prohibebit, neque ipsis aliquid ta-
le unquam in mentem venit: quo nomine
Cæs. V. Maiestatem per Dei misericordiam
& profunda Christi vulnera obsecramus,
ut Or-

vt Ordines clementi & optato responso exhilarare, atque in hoc tristi & calamitoso rerum statu, habita innocentia ipsorum ratione, recreare dignetur. Cæsareæ V. M. gratiæ, genibus eius aduoluti, nos commendamus.

Anno
1627.

Cæs. V. Majestatis
humilimi

N. & N. ex illustrium & nobilium virorum, qui Augustanæ Confessionis addicti sunt, Ordine præsentibus, suo & cæterorum nomine.

Interea cum Cæsareus exercitus in inferiori Saxonia victricia sua signa passim extulisset, & eam ferè totam in suam potestatem redegisset, Ordines Brunsvicenses hanc Declarationem ad Regem Daniæ miserunt, qua causas exponunt, quibus impulsis cum Duce Brunsvicensi Cæs. Majestatis patrocinio commiserint:

*Declaratio
causarum,
quibus moti
Ordines
Brunsvicenses
se in Cæsaris
fidem
& clientelam
contulerint,
cum annexa
petitione
ad Regem
Dania, ut
sua præsidia
ex reliquis
illi Ducatus
locis deducas.*

Serenissime Rex: Supervacaneum arbitramur, Tuæ Majestati fuisse commemorare in quæ pericula calamitosum hoc bellum Illustrissimum Principem, tuum ex sorore nepotem & filium, Dn. Fridericum Ulrichum, Ducem Brunsvicensem & Lunæburgensem, Principem ac Dominum nostrum clementissimum, non minus quam nos & omnes subditos, totumq; adeo Prin-

C cipa-

Anno
1627
cipatum Brunsvicensem conjecerit: quan-
doquidem Tua Majestas, tanquam Chri-
stianus & prudentissimus Princeps, ponde-
ratis omnibus circumstantiis & considera-
to rerum statu, illud ex se ipsa facilè animo
& cogitatione comprehendere potest.

In tantis periculis nos, tanquam fidi &
patientes subditi ac jurati vasalli, istud in-
primis curæ habuimus, vt Sua Celsit. ex
præsenti discrimine erepta in tuto colloca-
retur: qua in re Suæ Celsit. cogitationes
cū nostris consenserunt, & illa pridie quam
de eo à nobis moneretur, Schæninga mi-
grare, & Brunsvicum se recipere decrevit:
prout N. qui tunc Cancellarius erat, istius
consilii nos certiores fecit, & N. N. vna cum
ipso fatebuntur: quemadmodum etiam
Sua Celsit. proprio motu huc se contulit.

Adhæc insitus à natura erga patriam,
nos ipsos & nostros amor, summa regionis
calamitas, quotidianæ cædes miserorum &
innocentum subditorum, assidua incen-
dia, quibus plus quam trecenti pagi, præter
vibes & oppida, proh dolor, in his turbis
deleti fuerunt, atque imminens periculū,
ne arx quoque W olffenbuttelana (quem-
admodum eo tempore in furore belli fa-
cile evenire potuisset) vi expugnaretur, &
omnia archiva, Cancellaria, armamenta-
rium,

vium, palatium Principis, vna cum tabulis Annu
 publicis, actis judicialibus, depositis aliisq; 1625
 rebus magni momenti & ad totam regio-
 nem eiusque incolas pertinentibus, effrin-
 gerentur, spoliarentur, diriperentur & de-
 struerentur, nos & clementissimum no-
 strum Principem ac Dominum adigit, vt
 absque mora & prolixiori consultatione
 viam & rationem iniremus, qua Cæsarei
 exercitus impetus aliqua ex parte, & quantū
 fieri posset, mitigaretur. Nisi autem reli-
 quias miserorum subditorum in agris per-
 dere, Christianæ charitatis, fidei erga pa-
 triam, omniumq; regularum politicarum
 prorsus oblivisci, & cum ratione insanire
 voluissemus, hoc vnum restabat, vt humil-
 limæ nostræ testificationi, quod in fide &
 obsequio erga Cæs. Majestatem persevera-
 re vellemus, re & facto satisfaceremus, nos-
 que mandato avocatorio paruisse docere-
 mus, & facta transactione, Comitum Tillii,
 exercitus Cæsarei imperatoris cæterorum-
 que ducum benevolentiam nobis conci-
 liaremus, atque ita maiores calamitates
 averteremus, & tot innocentum ac misero-
 rum hominum exitio secundum conscien-
 tiam nostram prævorteremur.

Nec potuit hactenus à quoquam, in vel
 extra hunc Circulum, alius vel commo-

anno
627. dior procedendi modus ex fundamentis
legum & naturæ ostendi: cum ipsa natura
doceat, fortiori esse cedendum, & recte à
viro prudente dictum sit: *Necessitati pare,*
quam ne dii quidem superant.

Præterea jamdudum magnorū aliquot
virorum ex diversis locis nuntii, monita &
exhortationes cum ad Tuæ Majestatis di-
lectam sororem, Illustrissimam ac Celsissi-
mam Principem ac Dominam, Dominam,
Elisabetham, ex regia Danorum stirpe pro-
gnatam, Ducissam Brunsvicensem & Lu-
næburgensem Dominam nostrā elemen-
tissimam & communem matrem, beatissi-
mæ memoriæ, tum ad nos bono animo
perscriptæ fuerant, quibus significabatur,
rem jam ad extrema deductā, & nisi hunc
Ducatum ex summis difficultatibus, qui-
bus intricatus esset, plena devotione & ac-
commodatione erga Cæsar. Majestatem,
quamprimum expediremus & liberare-
mus, magnam mutationem, quæ deplo-
randa potius quam reparanda esset, immi-
nere, & futurum, velle aliis possessoribus
cum exitiabili vetustæ atque inclytæ do-
mus Brunsvicensis ruina, & inevitabili à
subditis vitæ atque animarum discrimine
tradatur, &c.

Quamobrem merito ab omnibus pro
impru-

imprudentissimis hominibus habiti fuisse. Anno
 mus, si rebus ita stantibus, nos, qui ad sum- 1627.
 mam miseriam redacti eramus, tantis co-
 piis temere resistere, & spretis tot fidelibus
 ac salutarib. admonitionibus, nos & omnes
 subditos cum vxoribus & liberis, vrbibus,
 oppidis & pagis prædæ & vastitati expone-
 re, atque vltro in exitium ruere voluisse-
 mus.

Ferre cogimur, quod quidã malevoli sini-
 stre, & ex suis affectibus hac de re judicant:
 qui si hic fuissent, aliter dixissent: prout etiã
 Consiliarii Principis, qui tunc aderant,
 aliud pro isto tempore suadere non potue-
 runt, quam transigendum esse: in quem
 finem avocatoria ad omnes T. M. præfe-
 ctos, qui in præsidiis erant, miserunt, vt lo-
 ca, quæ tenebant, desererent, & aliis pro-
 vincia incolis 23. Augusti, priusquam illi à
 signis discederent, auctores fuerunt, vt à
 bello desisterent, & litteras, quas eo nomi-
 ne ad ipsos dari iusserunt, postea evulgan-
 das & typis excudendas censuerunt. Ne
 autem in tam gravi & periculoso negotio
 exorbitaremus, & aliquid, quod excusari
 non posset, ac postea præstare teneremur,
 aggredieremur, Illustrissimus noster Prin-
 ceps ac Dominus hanc causam & actio-
 nem ante omnia divina directioni publi-

Anno 1627. cis & solennibus precibus nobiscum com-
mendavit : deinde habita ratione propin-
quitate cum illustrissima domo Lunæbur-
gica, cuius, ut notum est, plurimum inter-
erat scire, quid in hoc negotio gereretur, &
præstiti à nobis in eventum juramenti, in-
scio & inconsulto reverendissimo, illustris-
simo ac celsissimo Principe ac Domino,
Dom. Christiano, electo Episcopo Mün-
densi, Duce Brunsvicensi & Lunæburgen-
si, tanquam suæ Celsit. proximo agnato &
parente, Principe ac Domino nostro cle-
mentissimo, quem pium, sapientissimum,
prudentissimum, experientissimum, at-
que eximium Imperii Principem esse
constat, nihil in hac causa concludere
& exequi volumus, nec debuimus.
Post habitam vero in bene constituto
ipsius regimine & consilio maturam deli-
berationem, nullum aliud consilium, quo
à maximo & magis magisque ingruente
periculo nos aliqua ex parte subducere-
mus, reperiri potuit, quam ut oblatam &
litteris consignatam transactionem am-
plecteremur, & Cæsareo avocatorio ac
mandato realiter & cum effectu obtempe-
raremus, reliqua omnia divinæ curæ ac
providentiæ committentes.

Neque pro nostra simplicitate, cogitan-
do

do assequi possumus, quo pacto illustrissimus noster Princeps ac Dominus, propter fidem Cæsari datam, & in Lawenburgensi tractatu publicè propositam ac postea sæpius repetitam protestationem, ad quam sua Celsit. in hunc usque diem provocat, quod nimirum iis, quæ contra Cæs. Majestatem suscepta aut directæ essent, minimè assentiretur, tum propter avi testamentum, quo paterne monetur, ne Cæs. Majestati illo modo se opponat, aliud, in hoc negotio consilium sequi potuerit. Anno 1627.

Quod etiam Tua Majestas procul dubio respexit, quando non solum supradictum Principem Lunæburgicum rogandum censuit, ut apud Cæs. Majestatem se interponeret, sed etiam habita sufficienti deliberatione assensit, decrevit & concessit, ut illustrissimus noster Princeps ac Dominus Cæsareo mandato avocatorio pareret, & necessariis documentis aulæ Cæsareæ id testatum faceret, prout Tua Majestas ex superfluo conceptam Notarii requisitionem legit, pro arbitrio correxit, & clementissimè approbavit: quæ sanè omnia realiter & cum effectu accipi debuerunt, nisi Cæs. Majestati imponere, & hunc Principatum internecino incendio perdere voluissimus: quod totius orbis omniumque

Anno 1627. Ordinum Imperii iudicio submittimus. Quod ad generales provinciæ Ordines nostramque personam attinet, fides, qua clementissimo nostro Principi ac Domino obstricti sumus, charitas erga patriam, & officium nostrum, quo inelyto huic Principatui, Dominis agnatis & illius subditis naturaliter devincti sumus, in primis reverentia Cæs. Majestati, tanquam supremo capiti, debita, hoc ipsum à nobis postulavit, ut ad leges fundamentales huius Principatus, quæ vetustis & religiose sancitis Principum litteris reversalibus, comitiarum provincialium decretis, supradicto avi testamento, & tot annorum spatio quiete possessis privilegiis vnice nituntur, oculos animumque converteremus.

Cum igitur hæc omnia clara & litterali dispositione Principem rerum potentem in primis adstringant, ne sua Celsit. absque consensu & approbatione omnium provinciæ Ordinum fœderibus aut bellis contra Cæs. Majestatem susceptis se implicet, fœderationem autem Lawenburgicam (de qua cum initio deliberaretur, sua Celsit. non fuit adhibita, quæ etiam, quo illa tenderet, bello omnibus locis jam ardente, demum cognovit) Cæsar contra se initam, & sibi merito suspectam esse pronunciarit,

ciarit, & statim sub initium ab omnibus v- Anno
triusque partis copiis in hunc Principatum 1627.
cum summo illius detrimento impressio
facta, & postea ille ab exercitu Cæsareo
graviter afflictus & oppressus fuerit: facile
patimur, omnes honestos & cordatos vi-
ros, in & extra Circulum aut Imperium,
qui de his actionibus aliquid intelligent,
judicare, an nos & tota provincia tam in-
dignum & gravi pœna expiandum facinus
commiserimus, quod omni studio & cura
operam dedimus, vt dilectus noster Prin-
ceps ac Dominus periculo eximeretur; nos
nostræque vxores & liberi, omnesque adeo
provinciae subditi ex imminente calamita-
te, quoad eius fieri potuit, eriperentur;
quod adhuc supererat, conservaretur; leges
fundamentales, litteræ Principum reveren-
dissimæ, decreta comitorum, pacta conventa
& privilegia observarentur, & dirum pro-
scriptionis fulmen, quod nobis intentaba-
tur, averruncaretur.

His omnibus consideratis de Tua Ma-
jestate, tanquam laudatissimo Principe,
hanc spem & fiduciam concepimus, quam
etiamnum fovemus, fore, vt non tantum
ingentes calamitates & miseras, in quas
hæc provincia cum omnibus ipsius incolis
incidit, clementer perpendat & misereatur,

C s sed

Anno 1627. sed etiam nos excusatos habeat, quod con-
 filium ex tempore capere, & duris admo-
 dum conditionibus pacisci coacti fuimus:
 quæ spes si non fallat, id non tam Tuæ Ma-
 jestati, quam celsiori & magis heroico ani-
 mo præditam novimus, quam quibusdam
 malevolis nostris imputabimus, & even-
 tum Deo patienter commitemus, &c.

Quamvis autem speraremus, futurum,
 ut beneficio huius transactionis, quæ, si
 animo Christiano examinetur, nihil absur-
 di, & quod Christianis hominibus indi-
 gnum sit, continet, sed Constitutionibus
 Imperii, & religionis ac reipub. pace niti-
 tur, nec non promissis à Tullio, supremo
 militiæ duce, factis vberius frueremur, & si
 non omnibus, saltem gravioribus molestiis
 levaremur: tamen quod huius nostræ spei
 non omnino compotes facti fuimus, sicut
 summopere & ex animo dolemus, ita eius
 rei culpam partim immensæ militum li-
 centiæ, partim, & quidem vel maxime præ-
 sidiis, quæ Tua Majestas in aliquot locis
 huius Principatus, præcipue autem in pri-
 maria arce Wolffenbuteliana hætenus
 habuit, attribuere cogimur. Illa enim om-
 ni genere hostilitatis & injuriarum Tullia-
 nis equitibus & peditibus occasionem præ-
 buerunt, par pari reddendi, & ne Wolfen-
 bute-

buteliani aliquid in agris reperire possent,
omnia perdendi & vastandi : imo iidem
Wolfenbuteliani suis excursionibus Frid-
landicos in hanc provinciam attraxerunt,
ita ut miseri subditi non vni aut alteri, sed
tribus & pluribus exercituum ducibus pe-
cunias conferre cogantur, atq; ita ad sum-
mam, proh dolor, egestatem redigantur.

Quod si igitur Tua Majestas hunc Prin-
cipatum ex tantis malis & calamitatibus
eluctari, & tandem pace ac prosperitate
frui cuperet, facile istud deductis ex arce
Wolfenbutelana & aliis locis, quæ in eo
sunt, præsiidiis efficere & consequi posset :
præsertim cum diploma clientelæ à Tillio
dudum habuerimus, & ille litteris ad nos
datis testatus sit, se nihil ab hac provincia
& ipsius incolis ad alendum exercitum
Cæsareū poscere, nec præsidium arci Wol-
fenbutelianæ imponere, sed eam illustrissi-
mo Principi ac Domino nostro liberam
relinquere velle.

Quocirca dolendum, & fufis ad Deum
gemitibus deplorandum est, hunc mise-
rum Principatum tam indignis modis,
nulla sua culpa, vastari, & à rapacissimo mi-
lite vndiq; in eum irruente prorsus exhau-
riri & spoliari.

Tua Majestas ante hac in suis litteris pio

&c

Anno
1627

& Christiano animo testata est, quam graviter & acerbe miseriam ac vastationem huius provinciae ferat, & procul dubio memoria tenet, quanti olim reges Daniæ perveritum hunc Principatum fecerint, cum quo matrimonii vinculo, quod omnium arctissimum est, copulari voluerunt: ita ut non credibile sit, Tuam Majestatem benignum suum erga eum affectum profusurum, & malle, ut ille funditus intereat, quam ad prosperum & felicem statum reducatur. Si vero Tua Majestas juraturæ & insitum erga suum ex sorore nepotem, Dominum nostrum clementissimum, amorem & affectum attendat, atque aliquid ponderis apud se habere patiatur, fieri nequit, quin illa tot injuriis, quas Sua Celsit. cum magna rerum suarum jactura patitur, vehementer afficiatur.

Optimus & laudatissimus noster Princeps Tuam Majestatem sanguine propius attingere non potest, nisi ex te ipso editus & procreatus esset: quo nomine Tua Majestas ipsum filium suum agnoscit & nominat: atque ipse vicissim Tuam Majestatem tanquam patrem suum colit & veneratur. Quapropter Tua Majestas tam arctam & toto orbe cognitam & celebratam con-
sanguis

sanguinitatē non vsque adeo aspernabitur, Anno
 vt nepotem suum & filium, cui omnis fere 1627.
 aditus, bello hoc calamitoso, præter om-
 ne meritum, interclusus est, parvo, quod
 ipsi superest, priuet, & ex hæreditaria sua ar-
 ce atque antiquo majorum suorum domi-
 cilio excludat.

Non ignorat Tua Majestas, qua condi-
 tione ipsius præsidia in arcem Wolfenbu-
 telianam & alia huius Principatus loca in-
 troducta fuerint: à quibus si illa diutius vi-
 & contra Principis nostri voluntatem de-
 tineantur, Tua Majestas pro sua prudentia
 perpendat, quid totus orbis, quid Cæs. Ma-
 jestas, & omnes Imperii Electores, Princi-
 pes atq; Ordines de eo iudicaturi sint, præ-
 fertim cum hi militares apparatus tantum
 ad defensionem singulorum Ordinum hu-
 ius Circuli, non autem ad vnius aut alte-
 rius offensionem instituti fuerint. Quid?
 quod Tua Majestas toties & tam sancte, in-
 terposito Dei omnipotentis nomine, ore
 & litteris testata est, se omnes suas actiones
 in hac expeditione tantummodo ad con-
 servandam religionis & reip. pacem dirige-
 re. Tuæ autem Majestati, imo clementissi-
 mo nostro Principi ac Domino & nobis
 vniversis de pace religionis in hac provin-
 cia diversis responsis & promissis Cæsareis,
 quibus

46
Anno 1627. quibus merito fides adhibenda, cautum est. Illis qui fidem derogant, & propter meram diffidentiam bellum continuandum suadent, perniciosi sui consilii rationem Deo, Cæsari, imo Tuæ Majestati & toti orbi in sua conscientia aliquando reddent: siquidem rerum periti & primarii Theologi ac Politici bellum nudæ opinionis aut suspitionis causa gerendum esse nunquam suaserunt. Neq; adhuc per Dei gratiam comperimus, religioni & eius exercitio ullam vim factam. Pax autem politica eo ipso à Tua Majestate violatur, dum obsequentem Imperii Principem, suum nepotem & filium, contra omnia jura, omnemq; libertatem & æquitatem, nulla justa de causa, bonis & arce sua defraudat, alimenta, quibus se, ut Principem decet, sustentet, contra Christianam & naturalem charitatem ipsi subtrahit, eumq; omnium ludibrio exponit: quod tamen an Tua Majestate conscientia & consentiente fiat, valde dubitatur.

Quod si forte arx Wolfebuteliana propterea, à Tua Majestate, præsidio imposito, retinetur, quod illa veretur, ne ab adversa parte occupetur: iste metus, fide à Tillio aut à Cæsare ipso data, facile discuti posset, ut ad extrema descendere non sit opus.

Sin vero Tua Majestas existimat, sibi, Anno
 tanquam supremo Circuli præfecto, licere, 1627.
 arcem illam atque alia loca in sua potesta-
 te habere, Ordinibus provinciæ imperare,
 aut eos coercere & pœna afficere: quod il-
 lustris & generosus Dominus, Dn. Philip-
 pus Reinhardus, Comes Solmensis, in di-
 plomate ab ipso publicato haud obscure
 innuere videtur: Tua Majestas sibi in me-
 moriam redigi patiatur, quid hac de re an-
 no 1555. edita Imperii Constitutio præci-
 piat. Nam in ea §. *Quamvis*, claris & diser-
 tis verbis sancitur: *Quamvis* præfecti Cir-
 culorum ex singulis ordinibus, prout uni-
 cuiq; commodum est, cum certa potestate
 & mandato eligendi sint: tamen Electo-
 res, Principes aliosque Ordines, quibus
 hoc munus commendatur, non debere
 propterea vllum imperium aut domina-
 tum in reliquos Ordines sibi arrogare, aut
 sub prætextu administrationis illius officii
 supra alios se extollere, & majorem in eos
 auctoritatem & potestatem, quam leges
 præscribunt, usurpare.

Tuam autem Majestatem prudentio-
 rem & generosiori animo præditâ arbitra-
 mur, quâ ut vllam jurisdictionem in huius
 provinciæ Ordines sibi non subiectos, etsi
 illi eam tanquam Christianum atq; eximium
 Regem merito suspiciunt & honorant, cui

Anno 1627. tamen non magis quam alii alicui Regi aut Principi extraneo obnoxii & devincti sunt, sibi vindicare velit: neq; nos à clementissimi nostri Principis, tanquam ordinarii Magistratus, & Suae Celsit. successorum, quib⁹ eventualiter fidem dedimus, humillimo obsequio & subjectione subtrahere, & Principi extraneo contra præstitum iuramentum subiicere possumus. Quocirca Tua Majestas clementer animo secum reputabit, & vnusquisque iudicio pollens agnoscat, nos propterea quod Principi nostro vnice adhæremus, & alterius arbitrio simpliciter parere, omniaque, quæ ab eo expetuntur, præstare non possumus aut volumus, tam graviter non deliquisse, vt propterea in capitis, fortunarum, famæ & estimationis periculum vocari debeamus.

Quamvis autem initio, antequam Cæsar suū dissensum patefecisset, & quamdiu limites Constitutionū Imperii non transcendebantur, ad hoc opus, tanquā defensionē, proni & proclives fuerimus, & subditi facile induci potuissent, vt sponte omnia, quæ habebant, ad illud cōtulissent: tamen paulo post à Tuæ Majestatis copiis & aliquot præfectis, quando huius provinciæ fines attigerunt, in eo graviter peccatū fuit, quod multis convitiis, criminationib⁹, commi-
natio-

nationibus atque injuriis, tanquam bruto fulmine ab ipsis præmissis, Ordines sine causa adorti sunt: deinde exercitu propius admoto, rapinis, direptionibus, verberibus, exactiōibus & oppressionibus miseros subditos (Tua Maiestate procul dubio nec conscia, nec jubente) ita vexarunt, afflixerunt & excruciarunt, ut tale aliquid ab amicis & belli sociis expectare non potuerimus aut debuerimus: quæ ex re animi subditorum non parùm alienati, & ad diffidentiam commoti fuerunt: quæ inde aucta est, quòd honesti & spectabiles viri in periculosam custodiam traditi, hic Principatus omnibus belli sumptibus oneratus, & promissa in conventu Lunæburgico ex Circuli decreto subvectio, apparatus militaris, annona & pecunia non fuit præstita & repræsentata: ita ut de miserorum Brunsvicensium corio tantummodò luderetur, & præter immodicum pecuniæ subsidium maiora viribus auxilia militum flagitarentur, atque hoc pacto provincia omnibus facultatibus exhaustiretur.

Quo tandem flagitio miseræ oviculæ, afflicti, inquam, huius provinciæ subditi commeriti sunt, ut in hanc usque horam, postpositis omnibus, quas hactenus pertulerant, ærumnis, tam indignè bonis suis

Durum non spoli-

Anno spolientur, sedibus & laribus suis ejiciantur, atq; insuper gravem Cæsaris indignationem experiri cogantur? Profectò isthęc propter conscientiam erga Deum & fidem erga Principem nostrum immeritò patimur, ac propterea vindictâ Deo commitimus, qui suo tempore gemitus & eiulatus afflictorū exaudiet, & ipsis succurret. Tãta est & tam immensa huius provincie calamitas, vt si Tua Maiestas de ea probè edocta esset, & quàm immaniter cum miseris subditis agatur, ad eã perscriberetur, illud sine acerbissimo dolore atq; intima commiseratione legere non posset: imò nullus Christianus tam obdurati cordis est, qui damna & incommoda in hunc Principatum perluctuosum hoc bellum atq; in primis per frequẽtes p̄sidiũ Wolsenbuteliani excursions in vecta recẽsendo aut memoria repetendo à lacrimis temperare queat.

Certè Deum gravissimè irasci, & Christũ à quorundã hominũ oculis atq; animis secessisse oportet, quòd ministri verbi divini circũ arcẽ V Volsenbutelianam ab aliquo iam tempore p̄pter quotidianas p̄sidiariorum excursions tuti esse nõ potuerũt, nec curã animarũ ipsis gerere licuit, quãdoquidẽ capti, expulsi, exagitati & spoliati fuerũt: quo factum, ut multi infantes S. Baptismi fonte non fuerint abluti, multi ægroti in

summis animæ angustiis relictis, absq; confessione solatio & consolatione miserè exspirant. Ad hæc supradictus Comes Solmensis, sub titulo Principis Volfenbuteliani, diploma, qd non immeritò magnâ nobis suspiciōem movet, typis edendū & promulgandū curavit, quo Principis rerū potentis & supremæ ipsius iurisdictionis, que omnib; nota est, ne verbulo quidē mentionē facit, quasi hic Principat' omni prs' Dominocareret: & omnes provinciæ incolas, ecclesiasticos & politicos, sine discrimine, coram se citat: à miseris subditis, qui definitū in supradicti Circuli decreto triplum subsidium non in triplo, sed in centuplo cū irreparabili suo damno & pernicie iam dudū exsolverunt, atq; iccirco ad incitas redacti sunt, vltiorē collationē exigit, palā hostilia & extremam persecutionem minatus: imò oppida & pagos incēdere jubet, vt pecuniā ab incolis extorqueat, eosq; à naturali suo Principe ac Domino cōtra datā fidem & præstitū iuramentum aversos, sibi subiciat: imò novum regimē institutū, & clemētissimū nostrū Principē ac provinciæ Dominū, T. M. nepotē & filiū, supremo suo dominatu & provinciæ administratione exutū esse, vulgi sermone iactatur.

Cogitet Tua Maiestas, an hic processus

D 2

cum

cū eo p̄textu, q̄ hoc bellum p̄ pace publicā
 & conservacione libertatis gerat̄, cōgruat :
 siquē manifestum est, subditos à Principe
 obsequēte cōtra pacē publicā abstrahi, su-
 premā jurisdictionē ipsi eripi, eum facul-
 tatibus suis privari, & primaria sua arce ex-
 cludi, fidei ipsius ministris, provincialibus
 & subditis liberum ad ipsius aulam aditum
 .enegari, facultatem eundi & redeundi à
 præfectis, qui sunt in arce, pretio emi, & qui
 fidem Domino suo præstiterunt, tanquam
 captivos, detineri. Quàm graviter autem
 & indignè Tua Maiestas ferret, si Princeps
 aliquis extraneus regnorum & ditionum
 ipsius subditos hoc modo ad se allicere, &
 contra fidem ac iusiurandum à T. M. alie-
 nare conaretur? Quomodo Cæsar, supre-
 mus à Deo nobis præpositus magistratus,
 & clementissimus noster Princeps non of-
 fenderetur, si ab eo, quod Tua Maiestate
 consciā & approbante spondimus & do-
 cuimus, obsequio, & constanti, quam pro-
 misimus, erga Cæs. Maiestatem & Illu-
 strissimum nostrum Principem devotione
 temerè deficeremus, & illis invitis atq; in-
 dignantibus cum Tua Maiestate, tanquam
 cum Principe extraneo nos sociaremus, &
 his bellicis turbis ulterius immisceremus?
 Annon Tua Maiestas ipsa, tanquam juris
 & iustitiæ studiosus Princeps, tantam per-

fidiam & inconstantiam, si ipsius subditi aliquid istiusmodi committerent, toto corde detestaretur?

Quemadmodum autem propter multorum excelsi & humilis ordinis virorum innocentiam, in primis autem Tuæ Maiestatis existimationem consultū putamus, cavendum esse, ne malum hoc latius serpat, & cæteræ inferioris Saxonix provincix atque in specie T. M. regna & ditiones eodem modo, quo Principatus Brunsvicensis, dilecta nostra patria, vastentur: ita nihil nobis gratius atq; acceptius esset, quàm si Tua Maiestas, re adhuc aliquo modo integra, in tractationem de pace serio incumberet, contra nihil nobis tristius accidere potest, quàm si intelligamus, eam à T. M. improbari, & turbulentorum quorundam hominum consilio repudiari, atque ita eadem procella, (vt metuendum est, Deus autem clementer avertat) in T. M. regna & ditiones redundet.

Quæ cum ita sint, vt honorem, quo Tuam Maiestatem tanquam eximium & laudatissimum Principem semper prosequuti sumus, restatum faciamus, eam summo opere & propter Deum rogamus, vt ponderatis suprà allatis firmis rationibus, gravem contra nos innocentes, ex malevolorum

Anno 1627. quorundam instinctu, propter supradictam transactionem, & quæ eam consequuta sunt, actiones & consilia, ad quæ fide nostra & mandato Principis ac Domini nostri clementissimi adacti fuimus, conceptam indignationem deponat: immensa neq; amplius toleranda huius Principatus onera, damna, vastitatem & interitum pia commiseratione perpendat: de remediis tantarum calamitatum & ratione recuperandæ pacis cogitet: perniciosissimo præsidio Wolfenbuteliano, & quæ ab eo dependent, maximis damnis & incommodis clementissimum nostrum Principem ac Dominum, & tot miseros, afflictos atq; ad summam paupertatem redactos subditos clementer liberet: Comiti Solmensi imperet, ut à vi & iniuriis, quibus adversa pars magis exacerbatur, & ad hostilitatem contra hanc provinciam exercendam provocatur, abstineat: permolestum præsidium avocet, atq; ita ad pacem obtinendam viam sternat, nec non suum erga hunc Principatum benevolum affectum, eamq; qua nepotem & filium suum, Principem nostrum clementissimum, complectitur, charitatem demonstret. Quod si fiat, non dubitamus, quin altera quoque pars vim & impetum cohibeat, patiaturq; miseros subditos à tantis malis aliquando respirare, ac deinceps in pace vivere, ut

Deus grata ac piamente laudet ac celebret. Anno

Hæc aliquanto prolixius, quam voluimus 1627.
semus necessitate ita postulante, ut hono-
rem nostrum tueremur, ad Tuam Maiestatem
perferibenda curavimus: quibus si illa lo-
cum dederit, Christianum, laudabile, Deo
acceptum, & animæ suæ salutare opus per-
ficiet: quod ut Deus largè remuneretur, ex
animo precamur, atq; humillimis nostris
officiis tuæ Maiestati, cui nos demissè cõ-
mendamus, gratiam pro eo referre parati
semper erimus. T. M. Deus Opt. Max. in-
columem conservet. Signat. Brunsvici.

Quandoquidè inter Serenissimum Po-
loniæ Regem & Suec grave bellum ante ali-
quor annos exortum est, Sueco in territorio
Dantiscano ac vicinia caedibus & rapinis
grassante, quemadmodum in superioribus
nostris Relationibus ex parte commemo-
ravimus, quidam articuli pacis, ut perhibet,
hoc mente propositi, & aliquot delegati ad
eos audiendos utrinq; nominati fuerunt:

*Articuli
pacis propo-
siti inter Po-
lonum &
Suecum.*

I. Ut induciæ triginta annorum inter v-
trumq; Regnum pangerentur.

II. Sueci omnes arces, vrbes, oppida &
tormenta hoc bello ab ipsis capta restituerent.

III. Belli sumptus Suecis refunderentur.

IV. Respublica Tschaim Regi Polo-
niæ fidem renuntiaret, & iure hæreditario
Sueciæ adhæreret.

V. Poloni his xxx. annis nullum Regi suo auxilium contra Suecum ferrent.

VI. Ordines regni Poloniæ in comitiis caverent, ne durantibus induciis Rex aut posterius bellum Suecis terra marive moveant, nec copiis ipsius transitum in portibus marinis concederent.

VII. Certus locus & tempus constitueretur, quo de præcipuo capite, nempe de successione in regno Sueciæ, ageretur.

VIII. Mortuo rege Poloniæ Ordines regni non progredierentur ad electionem alicuius ex ipsius posteris, nisi caput causæ prius decisum esset.

IX. Cives & omnes alii, quorum nonnulli deditioem facere coacti fuerunt, nullâ molestiâ afficerentur.

X. Captivi utrinque permutarentur.

XI. Decreta in comitiis secundum regni constitutiones confirmarentur.

Quoniam verò hi articuli parùm ad gustum unius aut alterius partis erant, delegati re infecta discesserunt.

*Pugna veli-
taris inter
Polonos &
Suecos.*

Interea Suecus 19. & 23. Septembr. regia Polonorum castra adortus est, in quæ suum quoque equitatum immisit: ita ut aliquot ex Polonis fauciati fuerint: ipse verò Suecus sclopeto percussus, vulnus, quamvis non lethale, accepit.

*Articuli
pacis propo-*

Hoc eodem mense conditiones quæ-

dam pacis inter Cæsarem & Regem Danię ^{siti inter}
 propositæ fuerunt; quæ si Regi allubescerent, Cæsar ab ipso armis persequendo ab- ^{Cæsarem &}
 stinere vellet. ^{Regem Da-}
^{nia.}

1. Depositiõ armorum.
2. Abdicatiõ officii præfecti Circuli.
3. Renunciatiõ omnium Archiepiscopatum & Episcopatum.
4. Renunciatiõ ob noxam lege commissoria Ducatus Holsatiæ, & aliorum à Cæs. Maiestate & Rom. Imperio dependentium feudorum.
5. Deditiõ arcis Gluckstadianæ, vt præcedenti articulo satisfiat.
6. Refusio expensarum belli.
7. Renunciatiõ omnium actionum & prætensionum, qualescunque illæ sint, in Ducatum Brunsvicensem.
8. Renunciatiõ omnium actionum & prætensionum in Ducatum Lunæburgensem, & omnium iurium, quæ Rex contra vllum S. Rom. Imperii Principem, Ordinem aut civitatem unquam habuit, & adhuc sibi vendicat.
9. Refusio omnis damni per incendia & alia ratione in hoc bello cum aliis locis tum præcipuè Ducatui Brunsvicensi illati.
10. Renunciatiõ omnium confederationum contra Cæs. Maiestatem & Domum Austriacam.

Anno 1627. 11. Rex Daniæ Fretò Sundano vtatur
 secundum concordata & veterem consue-
 tudinem, nullo imposto novo vectigali,
 vt commercia sint libera.

12. De his omnibus Rex tabulis confi-
 gnatis & fideiussoribus datis, quantum sa-
 tis erit, caveat, &c.

An Rex has conditiones amplexurus sit,
 tempus docebit: interim supremus exerci-
 tus Cæsarei dux non feriatur.

*Res gesta
 inter Cæsari-
 anos &
 Danos in
 inferiori Sa-
 xonia.*

Quandoquidem Dani superiori æstate
 & Autumno à victorioso Cæsaris exercitu
 ex omnibus fere munimentis & propugna-
 culis, quæ tenebāt, expulsi & eiecti fuerunt:
 Tillius, supremus Cæsarianorum dux, eos
 acriter persequutus est, & Pinnebergā, ar-
 cem munitā, quam Dani paulo antè occu-
 paverat, sed ppter annonæ inopiam rursus
 deserere coacti fuerunt, in suam potestate
 redegit. Eodem tempore alter Cæsarianus
 exercitus sub imperio Ducis Fridlandiæ ve-
 stigia ipsorum pressit: ita vt Steinbergam,
 Ktempam & in vicina loca se recipere co-
 gerentur: vbi terras illas canofas aquis im-
 missis inundarunt. Cæsariani verò operam
 dederunt, vt reliquias copiarū Danicarum
 ex Stilhornana munitione, quæ vno millia-
 ri Hamburgo distat, profligarent. Rex
 Gluckstad ū se contulit, multis locis à ter-
 go igne cōsumtis. Tunc exercitus Cæsaria-

nus ulterius in Holsatiã progressus, Cassel- Anno
dorpiũ, nobile arcem & munitiõẽ, denno 1627.
circumsedit, & presidarios, misso tubicine,
deditionẽ facere iussit: qui cũ nec precibus
nec minis ad eam propugnandam impelli
possent, præfectus, certas cõditiones pactus,
arcẽ in Cæsarianorum manus consignavit.
Milites cum gladiis tantum dimissi, & duo
signa Cæsarianorum arci imposita fuerũt.
Tillius præterea Itzenhoviã & Ellenshovi-
am cepit: Croatæ autẽ in Ditmarsiam ex-
currebant. Quamvis autẽ aggeres perfossi
essent, vt agri isti fungosi submergerentur:
tamẽ, flante Euro, aquæ in eos non irrum-
pebant. Quoniam verò ppter pecuniæ de-
fectum & laxã disciplinam milites urbibus
admodum graves erant, plurimæ in partẽ
Cæsaris concesserunt. Morgã, tribunus mi-
litũ, deserto ante Bremã munimento, Sta-
dã cum copiis se recepit. Insuper cum Dani
primarium munimentũ prope Achum an-
te Bremã deseruissent, & Fegefackium in-
fra Bremam retrocessissent, duo alia parva
munimenta, præidiis firmata, à tergo reli-
querũt, quæ Comes Anholtinus deditione
accepit, ibiq; octo tormẽtis potitus est: In-
de Ottersbergã petiit, spe illius brevi tẽ-
pore occupandæ, quando quidem obsessis
nulla auxilia submitti poterant.

Sub

Sub id acris pugna inter Comitē Schlie-
kium & Marchionem Durlacensem com-
missa fuit : in qua Durlacensis fusus fuga-
tusque omnia sua tormenta, nempe 32.
machinas, & 43. vexilla amisit. Plerique
ipsius milites perierunt : atq; ita tota Hol-
satia à Cæsarianis subacta, & Nellius, ordi-
num ductor, captus fuit. Marchio cum
paucis suis præfectis navim ingressus, aufu-
git : reliqui in partes Cæsaris transierunt.

Tunc quoq; exercitus Fridlandicus mu-
nitionem Bredenburgam occupavit, con-
cisus viris ac juvenibus, eò quòd aliquandiu
restitissent.

Rex, ut fertur, septem naves bellicas an-
te portū Lubecensem collocavit, ea men-
te, ut mercibus non damnosis transmissis,
trāsitū navibus intercluderet. Vicissim Lu-
becenses aliquot naves instruxerunt, quæ
ad littus excubarent. Cæterum quia Rex
Gluckstadium deseruit & incendit; sub-
mersis in cæno tormentis, Cæsariani, occu-
pata Holsatia, Schlesvicum & Jutlandi-
am petiverunt. In itinere Wilsterlandiam,
apertum oppidulum, & Wilstermarchi-
am, exiguam regionem, Dragonicis eie-
ctis, ceperunt.

Nec minùs arce & oppido Rensberga
potiti sunt, ex qua Dani profugerunt, cum
alterum

alterum latus oppidi ipsis liberum esset. Dux Holsatiæ multos ex Cæsarianis in Ditmarsiam & Eydenstadium intromisit: quorum etiam septingenti Fridericopoli hospitium acceperunt.

Duæ etiam arces, Wolfenbutelana & Nyenbürgica, arcta obsidione premuntur: tamen præsidarii Wolfenbutelani aliquoties eruperunt, & Goslariam usque progressi, prædas egerunt, magnamque frumenti copiam in arcem invexerunt. Contra Cæsariani duo magna munimenta excitarunt, ut aquam averterent, itineribus circumquaque infessis, & adductis quindecim recentium equitum turmis, ad arcem omnibus viribus oppugnandam.

Cum v. Comes Anholtinus, generalis castrorum præfectus, Nyenbergam coronâ cinxisset, omni aditu occluso, Cæsariani duces, relicta illic parte copiarum, cum reliquo equitatu & peditatu moverunt, & trans Visurgim Danorum munimenta circum Bremam petiverunt, ut viderent, quid hostis in animo haberet, qui vanum rumorem de annona obsessis subvehenda & obsidione solvenda sparserat. Prius verò eis fluvium mille equites, Ottersbergam & Stadam versus, miserunt, qui 200. equites Danicos ceciderunt, & Dalvvigium, primarium

1627.
tio quatuordecim dierū tantum mutatu- Anno
ras, & in hoc infortunium ruituras? Nam
cum sperare, me Regem in Holsatia reper-
turum, ille decem vel duodecim ante die-
bus Fuenlandiā, prope Daniā, concesser-
at: quō ipsū terrestri itinere sequi non po-
tui, in primis, ppter impios rusticos, qui vbi-
que pōntes derecerant, vias fossis corrupe-
rant, & obvios quosq; absq; vllō discrimi-
ne obtruncabant. Nihilominus Eyteram
vsq; in Ducatū Schlesvvicensem, per totā
Ditmarsiam, penetraui: vbi mihi comeatu
Principis destituto transit⁹ denegatus, præ-
terq; quōd tota illa regio copiis hostilibus
repleta esset, ac licet cuidā idiomatis perito
centū taleros offerre, vt mihi viam ostēde-
ret, tamē istud ab eo impetrare non potui.
Præfectis aliquid mandantib⁹, nulla supe-
st apud subditos obedientia, aut respectus,
tanta est rerum omnium desperatio, ex
quo Marchio ante quatuordecim dies rem-
tā infeliciter gessit, vt ex ipsius exercitu p-
pemodum duo equitum & sex peditum
millia dissipata fuerint. Pauci aliquot cum
plerisque ducibus & præfectis, qui mature
sibi fugā consuluerunt, evaserunt. Hostis
in hoc certamine pluribus signis & vexillis,
quā superiorī anno prope Lutterā, cum
indelebili nostro dedecore, potit⁹ est. Pau-
ci in acie ceciderunt, quia nostri nō pugna-
runt, sed illicō, deditōne facta, in partes

hostis transfierant : qui castra ad Rensburgam, Flensburgam & Haderslebium, &c. promovit, & loca illa magna ex parte, nemine resistente, occupavit, Rensburgam autem tam arctè obsedit, vt ne cani quidē transitus pateat. Horum omnium præfectus Ditmarsiaë & alii honesti viri testes esse possunt : quorum consilio iter non sine periculo mihi retrò flectendum fuit. Vix enim Albim attingi, cū quatuor turmæ equitum & quinque signa peditum, ex copiis hostilibus, in Brunsbuttelium impetū fecerunt, & postmodū totam illam oram in Ditmarsia, fertili admodum regione, in suam potestatem redegerunt : ita vt Rex omnium ferè suarum ditionum hæreditariarum, quas cis mare habuit, iacturā fecerit, nec aliud ferè, præterquàm Gluckstadium & Crempam, retinuerit.

In Iutlandia Wallstenius pro arbitrio, nullo resistente, dominatur. Novit omnipotens Deus, quid in animo habeat, quod suo auxilio prorsus à nobis recedat. Quapropter Stadam me contuli, vt Seren. Principis & eorū, qui illic sunt, Commissariorum consilium exquirerem, quid tam dubio rerum statu tibi faciendum putent, quandoquidem spes omnis liberationis ab obsidione sublata est. Cancellarius Medenus

nus mihi inter alia mandatum 20. August. Anno
 datum, & Regis subscriptione ac sigillo cō- 1627.
 firmatum, ostendit, quo sua Maestas diser-
 tē iubet, vt via aliqua inueniatur, qua Ny-
 enburgo saluus eripi possis, & vt verba so-
 nant, improviso aliquo impetu inde edu-
 caris. Princeps autem satius fore existima-
 vit, si honestē transigere posses, & se istud
 apud patrem excusaturum recepit. Itaque
 Commissarius Vslarius extemplō ad Co-
 mitem Turrensē missus fuit, ut eum hac
 de re consuleret. Interea mihi mandatum
 fuit, vt istius consilii te quamprimū cer-
 tiorem facerem. Ego coram Principe &
 Commissariis vehementer sum protesta-
 tus, quōd mandatū istud tamdiu celassent,
 tametsi negotium semper viderim.

Et si quid nunc incommodi interveni-
 ret, & nullis iam honestis conditionibus
 transigere posses, culpam non tibi, sed iis,
 qui impedivissent, quo minū citius Regis
 mandatum ad te perferretur, imputandam
 dixi. Nam hostem, vt verisimile sit, sua for-
 tuna vsurum, & ea nunc minimē concessu-
 rum, quæ prius obtinere potueris: prout
 etiam præsente Vffelio Ottersbergensis re-
 tulerit, se ex Lindloio, militum tribuno, in-
 tellexisse, Limbachium ab omni transa-
 ctione exclusum, quandoquidem condi-
 tiones

E

tiones

Anno 1627. tiones initio oblatas repudiarit: de quo tamen nihil certi mihi constat: rumor enim tantum huiusmodi spargitur. Quam male autem me habeat, quod tot adversitatibus conflictemur, & tu tam turpiter desertus fueris, Deus & conscientia mea testis est. Cum tibi opem ferre possent, noluerunt: jam cum volunt, non possunt. Deus puniat eos, qui optimum Regem tam fraudulenter circumveniunt. Quamdiu nostri prope Bremam subsistent, tempus docebit. Hostis prope Buxtehdam & circum veterem regionem magnis copiis incedit, omnia agens & rapiens: in te verò potissimum vires suas convertere, & bilem suam effundere velle videtur. Quare des operam, ut cum Lunæburgico æquissimis conditionibus transigas, & honeste te illinc expedias.

Nam Regis & Principis Caroli mandata penes me habeo: quocirca tunc nunc de deditioe agere potes: nec vllum tibi auxilium hinc expectandum. Curabo, ut de omnibus mandata literis consignata accipiam. Si tormenta, quæ Regis sunt, cum aliquo apparatu militari, secundo Visurgi, avehere posses, istud maxime optandum esset. Tu videbis, quid necessitas, tempus & occasio ferat: interim his literis

teris fretus transigere poteris: nam ipsa au- Anno
tographa mittere non expedit. Hanc cu- 1627.
ram in te rejicito: ego omnia diligenter
servabo. NB Rex in munimentis prope
Bremam & diversis huius regionis arcibus
plus quàm 58. maiora tormenta amisit: ita
vt non parvi referat, Nyenburghensia con-
servari.

Quantum video, in sinu te gesta-
rent, si te hic haberent. Optimus Prin-
ceps in primis mandavit & rogavit, vt res
maturaretur, quo ipsi mox adesse, & quæ
superfunt in Episcopatu Bremensi, tueri ac
defendere possis. Faxit Deus, vt negoti-
um istud cum tuo & militum honore ac
commodo conficiatur. Rebus hic ordi-
natis confestim Bremam, si per hostem li-
cebit, me conferam, vt tibi sim propior,
& magis ad manum. De hospitio tibi assi-
gnando non levis erit deliberatio. In pa-
ctis autem cavendum erit, vt ad certum
& tutum aliquem locum deducaris. Ho-
stis optima quæque loca occupat: reliqua
sunt vastata: ita vt extra Stadam & vici-
nam regionem Kœdingam nullus locus
occurrat, qui tuæ existimationi conveniat.
Nam si diu ita vexemur, nec tempestas ho-
stem in hyberna se recipere cogat, actum
erit de Episcopatu Bremensi. Quocirca absq;
E 2 specia-

Anno specialibus pactis cum Episcopo transigen-
 1627. dum videtur. Si fieri poterit, ut recipere cō-
 veniam (quam ad rem Gallas nuper auxi-
 lium suum mihi obtulit) omnem adhibe-
 bo diligentiam: neque enim futurum ar-
 bitror, ut omnia tam citò conficiantur. Co-
 miti Solmensi, qui est V Volfenbutelæ, eas-
 dē, quas tibi, conditiones oblatas fuerunt:
 cui Lunæburgicus insuper cavit de gratia
 Cæsaris, bonorum restitutione, & libero
 discessu: quas tamen ipsum nondum acce-
 pisse audio: ac propterea spero, tantum nō
 subesse periculi, quantum Lindlous narra-
 bat. Tempus nunc est, ut hostis copias in
 hyberna mittat: & grave ipsi erit, ad Ny-
 enburgā diutius hærere: quod procul du-
 bio ipsum ad æquas conditiones adiget, si-
 cut ex animo voveo & opto. Tria harum
 litterarum exempla, eodem planè argumē-
 to, ad te misi, ut saltem vnum ex illis ad te
 perveniat, & cognoscas, quomodo res tuas
 instituere debeas. Deus nos iterum felici-
 bus auspiciis coniungat: tunc rebus nostris
 melius consulemus. Cæterum ne res tuas
 privatas ante nostrum congressum præci-
 pites. De omnibus, quæ ad vindicandam
 & conservandam tuam existimationē ne-
 cessaria erunt, bona fide te instruam, &
 consilio atque opera iuvabo, quousq; in-
 genium,

genium, vires & officium, quo tibi sum de Anno
 vincus, se extendent. Reliqua bene se ha- 1627.
 bent, & ea mihi curæ erunt. Tua filiola ex
 variolis decubuit: sed, per Dei gratiam,
 melius nunc habet, & nobis subinde deli-
 cias facit, quibus aliquando te oblectabit.
 De equis tuis potissimum sum sollicitus.
 Nam dedita Ottersberga in periculo ver-
 santur: quocirca tuo equisoni mandavi, vt
 Stadam se recipiat. Responsum tuum Bre-
 mæ mittere poteris: aut eius apographum,
 si fieri possit, huc perferri iubeas. Neque
 enim scio, quò me vertam. Tantum itineris
 viginti annorum spatio pedibus non con-
 feci, quantum hoc tempore: si quid perfi-
 cere possem, laboris me nō pæniteret. Tuo
 favori me commēdo. Hamburgi 8. Octo-
 bris 1627.

P. S. Vfflenius in tua transactione obti-
 nuit, vt omnibus militibus, qui ab hoste ad
 ipsum transfugerunt, liberè cum ipso exire
 liceat: quod à partibus nostris quoque ob-
 servandum erit. Multa de tuo morbo cir-
 cumferuntur: ego tamen meliora spero.
 Neque enim periculum reformido, quam-
 diu de eo nihil ad me perscribis. Nihilo-
 minùs aliquot medicamenta Bremæ ad
 te misi: nec dubito, quin ea acceperis. Te
 etiam atque etiam oro, vt in paciscendis

E 3 con-

Anno 1627. conditionibus tui rationem habeas, quo tutus & extra periculum esse possis. Nihil enim magis vereor, ne hostis, etiamsi veniam à Cæsare & liberum abitum polliceatur, fidem fallat, atque ita posteriora fiant deteriora prioribus, quod me & omnes summo mærore afficeret. Hoc casu circumspiciendum esset, num Bremam, aut per Westphaliam in Hollandiam clanculum evadere posses. Præstaret simulare, te à partibus Regis discedere velle, quàm periculum subire. Egomet tibi auctor esse nolim, vt diutius tuâ in hoc infelici bello, in quo omnia confuse geruntur, operam accommodes. De cæteris, quando in portu eris, consilium vnâ capiemus. Ea, de quibus parum aut nihil scribo, salva esse scias. Deus porro nobis adsit, & meliorem fortunam largiatur.

*Conventus
Principum
Vratisla-
via.*

Sub id conventus Principum atque Ordinum Silesiæ habitus fuit, & quoniam illi sperabant futurum, vt Cæsar habita ratione præcedentium contributionum, quibus provincia prorsus exhausta esset, aliorumque, quæ pertulissent, incommodorum, ipsis in posterum parceret, supplicii libello vltiores exactiones deprecari atq; avertere decreverunt.

*Res gesta in
Galiam.*

Quandoquidem Rex Angliæ Hugeno-
tis in

tis in Gallia contra Regem ipsorum & na- Anno
 turalem dominum suppetias ferre in ani- 1627.
 mum induxerat, dum Rex Gallia ad S.
 Germanum morbo detineretur, in illo
 suo instituto perrexit, & insulam S. Mar-
 tini occupavit. Dux autem Roanius, ve
 Subisio opitularetur, diversis locis copias
 coëgit. Quapropter Rex ipse in castra ad
 Rupellam profectus est, adductis xv. tor-
 mentis, & alio apparatu bellico. In Can-
 tabria & Duynkercka xl. naves armari
 curavit, quibus contra Anglos vteretur.
 Urbem Rupellam tormentorum ictibus
 vehementer infestavit, & multas ædes de-
 struxit. Insuper Ducem Engolismensem in
 Occitania militem conscribere, & Con-
 dæum exercitum cōtra Hugenos instru-
 ere iussit.

Quoniam Cæsar non ita pridem gravi-
 bus de causis Vienna, vbi hæctenus com-
 moratus erat, Pragam se conferre con-
 stituerat, die 26. Sept. cum coniuge, dua-
 bus filiabus, Rege Hungaria, totoque au-
 lico comitatu eo profectus est, & Pragam
 die Dominica, 18. Octobr. sub horã quin-
 tã venit, cui Prorex cum maiori parte civiũ
 obviã profectus est, eumque magnificè ex-
 cepit, tormentis in montem Laurentiũ
 deductis, & ter displosis, omnibusq; cam-

*Cæsar Vien-
 na Pragam
 proficisci-
 tur.*

Anno panis sonantibus. In omnibus templis hy-
 1627. mnus, *Te Deum laudamus*, cantatus, & co-
 mitia, omnibus Ordinibus, præsulibus, vi-
 ris illustribus, nobilibus & civibus convo-
 catis, indicta fuerunt.

*Ostentum
 in Hunga-
 ria.*

Circa hoc tempus mirum & singulare
 ostentum in Hungaria apparuit, dum non
 procul à castello Giermat aliquot Hunga-
 rorum & Germanorum catervæ, illi cum
 suis hastis, hi cum consuetis armis, ab hora
 quarta pomeridiana vsque ad vesperam,
 explicatis signis, contra Turcas gradum in-
 ferre à centenis aliquot hominib⁹ conspe-
 ctæ fuerunt, equitibus præcedentibus, &
 peditibus sequentibus. Ante vnâquamq;
 catervâ vir provectæ ætatis incedebat, qui
 à spectatoribus interrogatus, nutu eos ar-
 cebat. Multi ex agmine progressi equos
 suos agitarunt, posteaque ad ordines
 suos reversi sunt. Cùm autem nonnulli ex
 militibus, qui has catervas spectabant, scire
 cuperent, quid rei esset, eas sequuti nullum
 equi vestigium animadvertere potuerunt,
 sed eas supra arborum, quæ ad viam stabât,
 cacumina & ramos transvolare viderunt:
 vnde coniecerunt, spectra & dæmones ef-
 se: prout etiam mox à vehementi vento
 afflati, & ad amentiam quodammodo re-
 ducti fuerunt, vt reversi nihil certi referre
potuerint. Hoc

Hoc mense etiam Pontifex novos ali- Anno
 quot Cardinales in Consistorio creavit, 1627.
 Nicolaum Franciscum, episcopum Tul- Novi ali-
 lensem, Ducis Lotharingiæ fratrem: Hie- quot Car-
 ronymum Vidonũ, Cremonensem: Mar- dinales cre-
 tinum Gimetum, Viletrensem: Verospum ati.
 & Alexandrum Cæsarinum, vtrumq; Ro-
 manum: nec non Agidium Carilium Al-
 bernoium, Hispanum, archidiaconũ Bur-
 gensem, & Petrum Berillum, Regi Galliæ
 à Confessionibus.

Eodem tempore Cardinalis Cleselius,
 episcopus Viennensis, ad reditum in Ger-
 maniam & episcopatum suum se accinxit:
 cui Pontifex non contemnendam pecu-
 niæ summam ad iter suppeditavit. Tunc
 quoque Pancirolus celeribus equis in Hi-
 spaniam contendit, vt novo Cardinali Al-
 bernenio galerum Cardinalitium affer-
 ret. Contra alius cursor ex Hispania in Ita-
 liam properavit, vt naves Neapolitanas ad
 Anglos oppugnandos evocaret.

Quod ad res in Valle Tellina attinet, le- *Res gesta in*
 gatus Gallicus, Curia resident, apud regio- *Italia.*
 nis incolas ex postulavit, quod non exspe-
 ctato Regis sui responso, nec legatorum
 suorum nuntio, novum Governatorem &
 alios in præcipuis muneribus constitutos
 elegissent; contra quam electionem pro-

E s testatus

Anno testatus est. Illi vero se legatos suos ex Gal-
1627. lia revocaturos significarunt.

Dum hæc agerentur, populi in valle Lu-
cernensi & alii versus Delphinatum habi-
tantes decreverunt, Duci Sabaudia non
amplius obtemperare, præsertim si nova
tributa exigere vellet. Ille interea sex millia
militum Astam misit, & ad muniendam
illam urbem nova propugnacula excita-
vit: quod etiam in finibus Delphinatus
fecit.

In Belgio.

Circa hoc tempus legatus Hispanicus
Ordinibus Bruxellæ congregatis nomine
Regis Hispaniæ proposuit, ut se cum aliis
Hispanicis regnis atque provinciis ad com-
munem contributionem & defensionem,
si forte vnum illorum bello peteretur, pro-
pius sociarent. Quoniam vero huiusmodi
defensio institui non posset, nisi numero-
sus exercitus militum exercitatorum in præ-
sentem semper esset, Sux Maiestatis regna &
provincias assensisse, ut regnum Castiliæ &
Indiæ, 44000. Arragoniæ, 10000. Va-
lentiæ, 6000. Catalauniæ, 16000. Lusita-
niæ 16000. Neapolitanum, 16000. Sici-
liæ, 6000. Ducatus Mediolanensis, 8000.
Insulæ 6000. milites conferrent: itaque
petebat, ut Belgicæ provinciæ 12000. ad
eandem rem contribuerent.

In Sey

In Selandiam hoc mense tres liburnicæ Anno
 ex Societate Indiæ Occidentalis appule- 1627
 runt, quæ subpræfectū Hispanicum Hon-
 durasio Mexicum versus vela facientē ob-
 vium habuerant, & 15000. cistas ostri In-
 dici cum 15. fascibus serici, magni pretii
 prædam, attulerunt. Contra Duynkercka-
 ni, excursionem cum 13. bellicis navibus fa-
 cta, prope Scotiam 8. Hollandicæ, quæ il-
 lichalecum piscatoribus præfidiõ erant, in-
 vaferunt, ex quibus duas ceperunt, totidẽ
 ictib⁹ tormentorum conquassatas demer-
 serunt, reliquas fugã capessere coëgerunt,
 atq; ita damnum suum feliciter sarserunt.

In extruendo ad S. Vlidum munimen-
 to sedulo laboratur, & aliud maius castel-
 lum ad Scaldim excitatur, ad naves Lillo-
 am vltro. citroque comneantes arcendas.
 Munitio Schorziana aliquanto angustior
 est: nihilominus 10. tormenta ei imposita
 sunt. Insuper dimidiatæ Lunæ forma pro-
 pugnaculū Schorzianæ è regione Ostend-
 rechtæ atexitur, in quo circiter 400. viri
 cum operariis excubant.

Cum antehac Conventus Electoralis
 propter gravissimas causas, ad Imperii cõ-
 modū & salutē pertinētes à reverēdissimis
 & illustrissimis S. R. Imp. Electorib. Mul-
 husium indict⁹ fuisset, Electores, partim in
 propria

Conventus
 Electoralis
 Mulhusii
 Thuringiæ

Anno propria persona, partim missis legatis sub 1627. initium Octobris eò convenerunt, & 19. eiusdem primam sessionem in Curia habuerunt. Summa propositionis legati Cæsarei in isto conventu hæc fuit:

*Copia pro-
positionis à
legato Cæs-
reo Mulhu-
si in Con-
ventu Ele-
ctorali $\frac{13}{23}$
Octobris
1627. exhi-
bita.*

Posteaquàm Cæsar intellexit, Electores ex singulari affectu & sollicitudine, pro salute patriæ, conventum in hanc urbem Imperialem indixisse, ut laboranti patriæ fide-
li consilio subvenirent, & qua ratione de-
trimentosum hoc bellum componi, & pax
optata rursus stabiliri posset, deliberarent:
Sua Cæs. Maiestas, quæ jam aliquot annis
in eandem curam intenta fuit, non tantùm
hoc Electorum institutum probat & lau-
dat, sed etiam ipsis eorumq; legatis divinã
benedictionẽ & spiritum sapientiæ ac con-
sili precat, ut quæ ad maiora pericula &
calamitates amoliendas, & ad conservan-
dam Cæs. Maiestatis, Imperii atque univer-
sorum Electorum dignitatem atque existi-
mationem faciunt, dispicere, Sux Cæs. Ma-
iestati suggerere, atq; unã cum ipsa feliciter
exequi possint.

Cæterum Sua Cæs. Maiestas non arbi-
tratur prolixa narratione opus esse, qua oc-
casione detestanda illa rebellio ante decẽ
annos in hæreditariis suis regnis & provin-
ciis ad totalem Sux Maiestatis & honora-
tissimæ

tissimæ domus Austriacę ruinam exorta sit, Anno
 Quæque incrementa postea, adscitis etiam 1627.
 (quod summè dolendum est) Turcis &
 Tartaris sumserit, & quomodo hoc incen-
 dium sua flamma totum Romanorum
 Imperium complexum sit. In eo autem
 Sua Cæs. Maiestas se præcipuè solatur, quòd
 neque ipsa, neque qui eam antecessit, Imp.
 Matthias, beatissimæ memoriæ, ad has tur-
 bas exitiosas vel minimam causam dede-
 rint, sed ad tuendam Cæs. auctoritatem &
 suas ac periclitantium fidorum Electorum
 & Principum ditones ac subditos defen-
 dendos, contra suam voluntatem & insitã
 à natura lenitatem ac clementiam arma su-
 mere & vim vi repellere coacti fuerint.

Interea Sua Cæs. Maiestas nullam actio-
 nem aut tractationem, qua via ad firmam,
 certam, & quæ admitti posset, pacem con-
 ficiendam sterneretur, vnquam repudia-
 vit, multo minus vllam paternam admoni-
 tionem, dehortationem aut sincerianimi
 testificationem prætermisit: sicut hoc ex
 publicis scriptis atque actionibus in toto
 Imperio omnibus & singulis notum est.
 Quòd autem neque Suæ Cæs. Maiestatis
 paternæ admonitiones, oblatae conditio-
 nes & obligationes, neque obsequentium
 Electorum, Principum atque Ordinum
 sumptu-

Anno sumptuosæ tractationes atque interposi-
 1627. tiones, neque tot insignes victoriæ, ad con-
 firmandam Sui Cæsareæ Maiestatis justam
 causam à Deo concessæ, quidquam apud
 adversam partem valuerunt; sed illi sua
 consilia & machinationes eo semper dire-
 xerunt, ut vnum bellum ex eo alio sere-
 rent, malè cæpta maioribus malis accumu-
 larent, & cum periculo totius Romani
 Imperii perficerent ac consummarent: id
 merito tantarum calamitatum quæ Deo
 permittente evenerunt, auctoribus est im-
 putandum.

Quoniam verò belli ardor in Martiali-
 bus ingeniis propter infelices successus non-
 nihil refrixit, & sinistrae imaginationes ac
 prætextus eorum qui seducti fuerant, dete-
 ctis & in lucem productis adversæ partis con-
 siliis ac machinationibus, evanescere inci-
 piunt, atque ita res ad pacem & tranquilli-
 tatem aliquomodo spectare videntur: o-
 mnino sperandum est, illustrem hunc con-
 ventum, in quem totum Imperium oculos
 conjecit, januam ad eam intromittendam
 aperturum: quo nomine Sua Cæs. Maie-
 stas præsentium Electorum, & eorum, qui
 absunt, legatorum, tanquam virorum pru-
 dentissimorum, consilium & sententiam
 de his sequentibus capitibus cognoscere
 cupit:

cūpit: Primum, quomodo vniversalis, æ- Anno
 qua, & cum Cæs. Maiestatis atque huius E- 1627
 lectoralis Collegii nec non totius Rom.
 Imperii existimatione coniuncta pax, cui
 omnes tuto fidere possint, stabiliri, firmari,
 & contra eam à Rege Daniæ & proscripto
 Palatino obiectæ difficultates atque impe-
 dimenta ex fundamento tolli ac remove-
 ti possint.

Secundo, quandoquidem Sua Cæs. Ma-
 iestas, vt modo dictum, ad calamitosum
 hoc bellum nullam causam præbuit, inte-
 rim ingentes sumptus facere, & multos au-
 ri milliones erogare coacta fuit, vt se & fi-
 dorum Ordinum ditiones & subditos de-
 fenderet: atq; ob eam causam illa, tanquã
 pars offensa, secundum iura omnium gen-
 tium & salutare Imperii Constitutiones,
 nec non morem in Imperio receptum,
 sumptus illos ex bonis, ditionibus &
 subditis partis offendentis repetere, neque
 satisfactionem illam ad redimendas pro-
 vincias suas hæreditarias, quas pignori op-
 posuit, remittere potest: Suã Cæs. Maie-
 stas iudicium Electorum audire expetit,
 quomodo sibi satisfacere queat, ne pro-
 pter istam defensionem, ad quam ada-
 ctus fuit, damnum patiatur, & si Deus
 omnipotens gratiam largiatur, vt pax
 coale-

Anno
1627. coalescat, quibus adminiculis numerosus, attamen necessarius, suus exercitus exau-
ctorari possit.

Tertiò & postremò, si optata pax neque amica tractatione neque armis hoc anno confici possit, & adversarii, sociorum auxiliis, & Turcæ viribus, si illi fortè huic negotio se immisceat, freti, bellum gerere pergant: vnde nervus belli accipiendus, & quæ in hoc casu auxilia Electores Suae Cæs. Maiestati subministrare velint.

Quemadmodum autem Sua Cæs. Maiestas Electorum mentem & consilium de his capitibus cognoscere magnopere expectit: ita illi vicissim certi esse possunt ac debent, illam quidquid ad pacem componendam ab ipsis in medium allatum fuerit, diligenter ponderaturam, nec commissuram, vt aliquid in se desideretur, quod salvo Imperii honore & cum illius commodo fieri queat.

Capita ab Electore Moguntino ad deliberandū proposita hæc fuerunt: I. Quomodo præsentibus malis & calamitatibus in Imperio, quæ ex infelici bello Boëmico originem traxerunt, hoc autem tempore ex assiduis & proprio arbitrio susceptis militū ab vno loco in alium translationibus, irruptionibus & expilationibus, quæ con-
tra Cæs.

tra Cæsaris voluntatem fiunt, & Imperium Antioch
ad extremam vastitatem redigunt, magna 1627.
ex parte oriuntur, licita ac legitima ratione
occurrendum sit.

2. Quo pacto amissa pax cum Cæs. Ma-
iestatis & obsequentium Ordinum atque
Imperii dignitate recuperari possit.

3. Quomodo pax, quando Deo cle-
menter benedicente confecta fuerit, firmi-
ter conservari queat, ne in posterum viole-
tur, sed ad feros nepotes transmittatur, &
perniciosæ factiones ac dissidia, qualia,
proh dolor, hoc nostro tempore vidimus,
& adhuc ob oculos versantur, caveantur.

4. Si Cæs. Maiestas & obsequentes Im-
perii Ordines præter spem in firma & æqua
pace cõstituenda impediuntur, aut illa po-
stea ab ipsis Imperii membris aut ab exter-
is rumpatur: quomodo turbatoribus pacis
& Cæs. Maiestatis atque Imperii hostibus
constanter, bono ordine, & salvis Imperii
Constitutionibus occurrendum, & quid
præterea in Cæs. Maiestatis & S. Imperii
commodum sancendum videatur.

5. Quoniam varia negotia, quæ ad so-
lum Electorale Collegium propriè perti-
nent, ad proximum Conventum Electora-
lem reiecta fuerunt, eadem occasione ca-
pita iam proposita, quantum res tempusq;

F

permit-

Anno 1627. Die 25. Octobr. Mulhufi convenerunt,
 nomine Cas. Maiestatis, Petrus Henricus
 à Stralendorff, Baro, &c. Reinhardus à
 Walmenrod: Elector Moguntinus: Ele-
 ctor Saxonix: ambo cum comitatu: no-
 mine Electoris Trevirensis, Ecclesie cathed-
 ralis Præpositus: generalis provincie Præ-
 ses: Cancellarius: Jo. Casparus à Leyen,
 præfectus Monasteriensis, &c. cum comi-
 tatu: nomine Electoris Bavari, Paulus An-
 dreas Baro à Wolckenstein, Maximilianus
 Curtzius, Baro. Jo. Beringerus, D. Marti-
 nus Beyerus, D. cum comitatu. nomine E-
 lectoris Coloniensis, Episcopus Osnabru-
 censis. Crichinganus, Baro. Furstenbergi-
 us, Baro. Durhoffensis, D. nomine Electro-
 ris Brandenburgici, Adamus, Comes
 Schvartzenburgicus, Sigismundus à Ge-
 tzen, Petrus Fridericus, D. cum comitatu,
 nomine Regis Gallix, Comes Marca-villa-
 nus, nomine Archiepiscopatus Magdebur-
 gensis, Jo. Timeus, D. Cancellarius, nomi-
 ne Archiepiscopatus Bremensis, Theophi-
 lus ab Hagen, nomine Episcopatus Hal-
 berstatensis, Henricus à Steinbergen, Hen-
 ricus Jordanus, Cancellarius, nomine Du-
 cis Brunsvicensis, Arnoldus Engelbertus,
 D. Cancellarius, Jacobus Lampadius, D.
 Consi-

Exec. Jans
 Inter Aram
 Casar. ad
 Die 25. Oc-
 tobr. 1627.

Consiliarius, Tilo Burckhardus à Malm- Anno
 haden, Daniel Campensis, D. nomine 1627.
 Landgravii Hassiæ, Henricus Petreus, Iu-
 liana, Landgravii conjux, cum filia primo-
 genita & comitatu, nomine Ducis Lunæ-
 burgici, Georgius Fischerus, nomine Reip.
 Ratisponensis, Jo. Jacobus Wolffius à
 Todenvvarth, Syndicus, vna cum aliis le-
 gatis civitatum Imperialium.

Ferdinandus, &c. Illustris Princeps, &
 chare cognate, Significamus tibi, nos tuo-
 rum & Ducis Lotharingiæ subdelegatorū
 cum ministris Palatinis Colmarie factam &
 scripto comprehensam conclusionem ma-
 tura deliberatione expendisse, & adversæ
 partis declarationem ad quatuor capita de
 pace proposita ita cõparatam deprehen-
 dere, vt ea magis in prolixitate inanium
 verborum, quàm rei substantia consistat,
 atq; iccirco firmam & constantem pacem,
 quæ fiducia à nobis conceptæ respondeat,
 minime sperandam esse. Quare si adversa
 pars in illa sententia persistat, neque pro-
 pius ad scopum accedat, ipsemet facile ju-
 dicare poteris, culpam pacis toties rejectæ
 atque impeditæ à nemine, qui affectibus
 suis non indulgeat, nobis imputari posse.
 Atque ita alia nobis via contra voluntatem
 nostram incunda erit, siquidem adversa

*Exemplum
 litterarum
 Cesaris ad
 Ducem Wir-
 tembergiensium*

Anno 1627. pars sententiam non mutet, stantem ad pa-
 cem Imperio restituendam propensissimi
 sumus: quod te pro ea, quare complecti-
 mur, gratia & benevolentia celare nolui-
 mus. Viennæ 27. Augusti 1627. Ad man-
 datum S. C. Maiestatis proprium Arnoldi
 nudi à Clarstein.

Exemplum
 literarum
 Friderici
 Comitis Pa-
 latini ad
 Ducem Wir-
 tembergi-
 um.

Illustrissime Princeps, Quid Cæsi Ma-
 jestas litteris 27. Augusti, ad te datis de cõ-
 clusione in Colloquio Colmariensi facta
 scripserit, ex apographo ad nos transmissa
 (pro cuius communicatione tibi gratias a-
 gimus) non sine animi mærore intellexi-
 mus, quod scilicet nostra declaratio ipsi nõ
 satisfaciat, ac propterea eam acceptare ne-
 queat. Quanto dolore hoc insperatum re-
 sponsum nos afficiat, quid in nostra illa
 Declaratione desideret: interea nos & di-
 lecta nostra mater ac frater vnà cum vtri-
 usque ditionibus ac subditis graviter pre-
 muntur. Nihilominus cum omnibus atque
 imprimis Sux Cæsi. Majestati satis superque
 constet, quanto & quam fido affectu ac
 zelo reconciliationem cum Sua Majesta-
 te omni honesta ratione ac via hactenus
 quæsi verimus & adhuc quæramus, & quo-
 modo operam dederimus, vt nostram erga
 ipsam observantiam testatam faceremus,
 eique pro viribus satisfaceremus, confidi-
 mus,

mus, Cæsarea fore ut Sua Majestas eadem lenitate & clementia erga nos utatur, quæ erga alios in simili casu vta est, & re ipsa animorum suorum pacis cupidum declaret: ut que adhibita secundum æquitatem & possibilitatem moderatione, non solum nostri & nostrorum gravissimè afflictorum subditorum, sed etiam aliorum quamplurimorum innocentium hominum, qui per totum Imperium sub intolerandis huius belli oneribus succumbunt & ingemiscunt, ex gratia Cæsarea misereatur, & nos cum illis optata pace, quam conficere in ipsius manu ac potestate est, recreet ac refocillet. Sic toti orbi & dilectæ posteritati notum faciet, quòd posthabitis aliis omnibus considerationibus, lamentabilem Imperii statum & summum afflictorum Ordinum desiderium benignè respexerit: atque sua clementiæ & mansuetudinis laudem augebit, omnesque sibi ad humillima officia magis ac magis devinciet. Quo circa te amicè & officiosè rogamus, ut in suscepta interpositione pergas, & omni studio Suam Cæs. Majestatem permoveere lenitaris, quo iis, quas pacis recuperandæ causa obtulimus, conditionibus locum det, & omnes ab omnibus partibus quiete ac tranquillitate frui possimus. Nec dubitamus, te

Anno
1627.

Exemplum
literarum
Friderici
Comitis Pal
latini ad
Ducem W. in
Saxonia
-ingeburg
-ensis

Anno summa cura, fide atque opera in hanc rem
1627. incubiturum. Nos pro hoc officio ad gra-
tiam tibi referenda prompti ac parati seme-
per erimus. Dat. Hagæ Comitum, 11. Octo-
bris stil, nov. 1627.

*Belli in
Gallia con-
tinuatio.*

Interea turbæ in Gallia in grave scebant,
& quia munitioni in insula S. Martini an-
nona ad aliquot menses illata fuit, Angli
non parum percussi fuerunt, qui reditum
ad suos lares magno desiderio expetebant:
præsertim quia munitio illa jam secundo
recentem militem & comeatum acceperat,
& Dux Guisus 40. bene armatis navibus
ipsi succurrerat: adhæc in Hispania 70. na-
ves ad opem Regi Gallia ferendam instrp-
tæ erant. Quo factum, ut Dux Buckingham
cum aliquot navibus in Angliam sit rever-
sus, relicta in Gallia copiarum & navium
parte sub Comite Hollandia.

In castra ad Rupellâ 16. tormenta cum
magna annonæ & bellici apparatus copia
advecta fuerunt. Cum autem Dux Aure-
lianensis cum aliquot equitibus ex castris
ad aliquid lustrandum progressus esset, ob-
fessi eruptione facta aliquot ex illis truci-
darunt, & Ducis equum, quemadmodum
& Belegardæ ictu scloppetæ interemerunt.

Princeps interim Condus Celtica vel
Lugdunensis, & Langedocciæ Galliarum

pro-

provinciarum Governator constitutus est, Anno
 qui Burdegalam profectus, militum milli- 1627.
 bus aliquot conscriptis Castresium, & Ni-
 mebim aggredi constituit, Dux vero Roa-
 nius Oragnes oppidum, astu intercipere,
 cuius deditionem praesidarij stipulari fue-
 rant, conatus, spe frustratus, retro cedere
 coactus, proditoris autem conscij ordinu
 ductor, cum militibus aliquot praesidiariis
 supplicio affecti fuerunt.

ob Caesareus interea exercitus tot amplissi-
 mis partis victoriis universon fere Duca-
 tum Holfatiae in potestatem suam redegit,
 -exceptis Gluckstadio & Crempa, oppidis,
 -quae praesidiis in praesentem diem munitae,
 -Caesareanorum arma & signa victricia se-
 -qui pertinaciter respuebant: Caesareae ve-
 -ro copiae partim Jutlandiam petere ag-
 -gressi, & Commissarij Danici Stadam reversi
 -fuerunt, ut cum Morgano ordinum du-
 -ctore, qui cum signorum 44. praesidio te-
 -nebat urbem consilia lociarent, Praesidarij
 -etiam Buxtehudani Danos urbi impositos,
 -armis spoliatos oppido ejecerunt, arma ve-
 -ro urbi eiectione dedecorose transmiserunt:
 -quo cognito, Caesareani Buxtehudam vr-
 -bem versus ducetes Stadam obsidione cin-
 -gere arctiore conati sunt, hinc crebri inter
 -vtrosque exercitus conflictus, & Brema

*Res in Sa-
 xonia infe-
 rior gesta.*

Anno vrbs alioqui florentissima maximis cala-
 1627, mitatibus oppressa, fameque & peste mi-
 ferrime conflictata fuit, cum maxime Co-
 mes Anholtinus itinera & vias omnes ad
 urbem ducentes, obsidione arctissima in-
 terclusas teneret. sub regno nulli fuit munio
 Fridlandiæ quoque Dux hoc tempore
 Heiligenstadam, (Sanctorum Fanum) in-
 tercepit, & Gallum quendam ordinum du-
 ctorem, cum militibus septem, Flensbur-
 gum transmisit, quod deditionem ipsis
 suæ nomine, nulla scilicet auxiliorum spe
 affulgente, imperarent, quibus permotim
 colæ, vt & vrbs Kyela deditionem fecerunt:
 hinc in Jutlandiâ progressus, viginti quinque
 miliarium spatio terram omnem in pote-
 statē suam redegit; mandato vero S. Cas.
 Majest. Domini nostri Clementissimi, vr-
 bes & territoria, quæ ad Ducatum Holsatiæ
 spectant, Cell. ipsius, Provinciae Duci re-
 stituta fuerunt.

Daniæ vero Rex nihilominus dispersas
 copias recolligere, novas conscribere, &
 bellum summa vi restaurare aggressus, Al-
 bim & Vesaram navibus interclude-
 re conatus, oppida aliquot haud magni
 nominis, pagos quin etiam & castella Vul-
 cano tradidit. inter quæ vrbs & castellum
 Haderslebia Holsatiæ Ducatus oppidum
 primas tenuere partes.

Ve-

Verum hisce rembris omnibus remotis Anno
 Cæsaræanæ oppidulum Harenburgum qua 1627.
 transitus in ditionē vltiorem, Antiquio-
 rem dictā, patebat; occupatam sui fecerunt
 iuris, præsidarios vero Danicos, qui in vi-
 cinum castellum fuga euaserant, deditione
 impotestatem redactos, cum omnibus im-
 pedimentis, armis, & expansis vexillis, in-
 columes dimiserunt. *sup nullis*

Viuebāt interea inter Poloniæ Regem, *Prælium inter*
 & Suecū pacis tractatio, propositique fue- *ter Polonos*
 rant articuli, & conclusiones aliquot, qui- *& Suecos.*
 bꝰ stabilitis inter vtrosq; pax coalescere spe-
 rabatur, Verum hisce minime consideratis,
 prælium inter vtroq; Polonorum & Sue-
 corum exercitum atrox commissum: hoc
 tempore fuit, in quo multis magni nomi-
 nis ex Suecorum copiis desideratis militi-
 bus, quam plurimis etiam vulneratis, & ca-
 ptis; Poloni victoria potiti sunt: prout ex
 subsequens hac de re exaratis litteris
 patet. *lib. v. nihilominus*

Cum Batavorum, sive Provinciarum v-
 nitarū Belgicarum legati, qui inter vtrom-
 que regnū pacis tractationem susceperant,
 Polonorum exercitus Imperatori legatio-
 nis suæ causas, & progressus exposuissent,
 repente nuntio de Suecorum aduentu,
 & impressione in castra Polonica facta, p-

-5V

Fuisse territi,

Anno 1627. territi, in locum tutum ad Polonis deducti
 fuerunt. Hinc ingens militum etiam bellicis & tribu-
 cinum classicum canentium strepitus ex-
 ortus, & Polonici exercitus subduxit
 800. equitibus & Collatorum aliquot
 gnis, ut & trium Germanorum militibus, ioco-
 mitatus, hosti obviam progressus, magna vi
 eum adortus est, tantaque virtute, & fortig-
 tudine oppugnavit, ut ex utraque ipse
 quam plurimis desideratis, praelium anceps,
 diu videretur: Tandem vero fortuna Po-
 lonis favere visa, & Suecorum magna stra-
 ge edita, in Polonorum partes transivit. In-
 ter reliquos vero Suecorum Marefcallus,
 cum aliis aliquot magni nominis ordinum
 Ductoribus, & centurionibus occubuit,
 quamplurimi vero sauciati fuere. In per-
 magno quoque periculo versabatur sum-
 mus Polonici exercitus Imperator, qui dum
 signiferum quendam ex hostium caterua
 aggestus necidat, ipse vite periculum adiit,
 a lex cataphractis undique cinctus, sed ab
 Equitibus quibusdam Putlerianis presenti
 periculo liberatus, equus vero ipsius terna
 vice glande tormentaria traiectus fuit. Quo
 viso Sueci fugam salutem quaerere coacti, vi-
 ctoriam Polonis cessere. Subsequenti nocte vallem jacere Polo-
 ni, & tormentis duodecim maioribus stra-
 mine

mine & stipulis correctis instruere, & præsi Anno
dio valido munire cœperunt, hoc castu, ^{1627.} ~~1627.~~
hoste vallum oppugnante, ante tormento-
rum explosionem intra vallum se contine-
rent, minimeq; sui hosti copiam facerent.
Cui consilio obtemperantes Poloni, hosti-
les copias postridie irruentes, tormētis ma-
gnam eorū stragem ediderunt, inter quos
ex primariis Suecorum præfectorum non-
nulli desiderati, ipse etiā Gustavus, quina-
vice tormento manuario petitus, armorū
robore tutus evasit. Victoria autem Polo-
nis arrisit, non tamen sine magna iactura,
& labore, cum equo cui insidebat, occiso,
summo in periculo constitutus, virtute Po-
lonorum incolumis evasit. Gustavus bra-
chio, sed non lethali ictu, laesus, receptui
cecinit, & S. Mariae montem deductus, in-
ducias unius mensis à Polonis petijt, sed
frustra, nec enim tot horarum induciæ ei
concessæ. Quam plurimi etiam ex Suecis
capti, qui Gustavum tormenti globulo ir-
isum, occisorum etiam Suecorum nomina
confessi, confirmarunt, Suecum animo an-
te prælium hoc, constituisse, siquidem for-
tuna ipsi arrideret. Polonorum castra per
totam hebdomadam, ad vsque Sabbathi
diem, oppugnandi, antequam reliqua Ger-
manorum, & Polonorum auxilia ijs sub
venire

Anno 1627 venire possent. Ex parte etiam Polonorum multi primarij, & nobiles occisi, inter quos Vaivoda, cum aliis; tantoque constitit hoc prælium, ut 30. currus occisorum cadaveribus onusti, Dirlaviam asportarentur: magno etiam numero in campis relicto. Revertit etiam inter alios, captivus Suecus, primariæ nobilitatis, Suecum, captis eodem modo castris Toruniam vsque Polonorum Regi occurrere, & prælij ansam committere constituisse. Armorum etiam satis magnus cumulus, & præda opima parva, Suecis sensim à signis dilabentibus, naves quin etiam omni apparatu necessario instructæ, Sueci naves, ob aquarum penuriam huc vsque aggredi non potuerunt, sed ventos fluctibus opportunos præstolare coguntur. Rex vero Poloniae Torunio profectus, fuis duobus Principibus Vratislao & Cauniro comitantibus, in castra sua summa festinatione contendit.

*Conflictus
inter Casareanos &
Danos.*

De conflictu vero inter Casareanos & Danos, & victoria gloriosissima à Casareanis reportata, subsequentis tenoris literæ 28. Octobris ad Illustrissimū Friedlandiæ Ducem exaratae sunt.

P. P. Postquam superioribus diebus Illustriss. V. Cels. literis Haderslebij scriptis, ea omnia, quæ de hostilis exercitus robore, & consilio,

consilio, & proposito, cognoveram, signi- Anno
ficasse, vestigia ipsius, quantum fieri omni- 1627.
no potuit, summis viribus, insequi, & inter-
cipere copias eius conatus sum. Cum vero
decimo tertio huius mensis, per explorato-
res certo cognovissem, hostilium copiarum
ductores, Conradum Nellum, Paudissim-
um, & Calenbergum, Wiburgi commo-
rari, copias vero, utpote Calenbergii tur-
mas, sive signa 2. Nelli quatuor & Lav-
enburgij Ducis, vna cum reliquis exerci-
tus Silesiaci, & Slesuici, ut & Paudissini e-
quitibus nonnullis, per pagos, & territorium
Viburgense dispersos, adventum nostrum co-
gnito, precipitanter, & ignominiose pede
retro tulisse, impedimentis in tuto colloca-
tis, & praesidijs munitis, vestigia ipsorum
summa festinatione sequi insecutus, & 17. hu-
ius mensis die cis Alburgum palantes de-
prehendi, verum illi retro pedem referre, &
Alburgum petere, coeperunt. sed frustra.
quippe ante triduum Domino de Scherf-
fenberg cum trecentis Equitibus praemis-
so, transitum illum ut in potestatem redi-
gerent, in mandatis dedi, qui magna virtu-
te eos aggressus, fudit, & occidione prope
delevit. Hinc Ordinum illi famosi Ducto-
res, Conradus Nellus, & Calenbergius cum
signis 28. in praecipitium quoddam trans-

oppi-

Constitutio
inter Casa
veneros
Ducem

Anno oppidum Alburgum prope littora maris
 1627. fuga elapsi, cum nullam evadendi vi-
 am vidissent, Paudilio parvo navigio fuga
 elapso, misso tubicine de deditioe agere
 cœperunt, Ordinum proinde ductores, &
 centuriones captos abduxit, equites vero,
 qui trium millium numerum æquabant,
 equis, & tormētis manuaris ademptis, in-
 terque Cæsareanos distributis, incolumes,
 extra provinciam deducendos curavi,
 & hoc modo signa 25. equestria, & duo pe-
 destria, Calébergij nimirū, 13. Nellij qua-
 tuor, Saxonica & Vinariensia vndecim ex
 singulari divina clementia recepi, & victo-
 riam amplissimam reportavi.

*Res in Bel-
 gio gesta.*

Marchio interim Spinola in Hispaniam
 vna cum Marchione de Leganes, abiturus
 Duce de Mars, & alijs primariæ nobili-
 tatis vitis comitatus, 24. Octobr. Bruxel-
 lis audito sacro, & percepta S. Synaxi Dun-
 kerkam profectus, Gandavi primis ca-
 stris pervenit, & magnifico apparatu ab Se-
 natu oppidano est exceptus.

Naves interea bellicæ viginti Duynker-
 kæ summo studio omnibus necessariis re-
 bus instructæ, & Cambraia 200. tonne pul-
 vere tormētario repletæ eotransvectæ, op-
 pidani vero 26. armatis navibus ad Batavo-
 rum impetum avertendum mari sese com-
 mise-

miserunt, qui tum temporis naves duas Anno
magni pretij mercibus onustas, ex Guinea 1627.
redientes, in potestatem redegere.

Locum tenens Ducis Guisiani Domintis
de Nanti hoc etiam mente Hispaniæ Re-
gem de auxilijs Francorum Regi contra
Anglos submittendis interpellavit, qui
30. naves bellicas triremes, Galleones vul-
go dictas, vna cū alijs viginti instructis na-
vibus bellicis submissurum sese Gallo spo-
pondit, eo fine vt Gallicę classi coniunctę,
Anglis resistere facilius possent: Eam etiam
ob causam 1200000. coronatos è Flan-
dria provincia sese transmissurum, idem
Rex in se recepit. Don. Piementelli Gu-
bernator & Vicarius Regius Insularum Ca-
narię, Dona. Franciscus de Zanavel limiti-
bus & castellis orę Africaę constitutus est.

Nec in Turcia hoc tempore quies: Ge-
neralis nepe, Visir Calil Bassa maximis sti-
patus copijs Dirbecam versus pgressus in
Persarum fines irruptionem tentavit, cui
Persarum Rex validissimum exercitū op-
posuit, Classis vero, quę contra Croatas in
Ponto Euxino emissa fuerat, voto fru-
strata, domū regressa est, fortalitium quod
circa ostia Borysthenis extrui cęptum,
optatam ad perfectione perducere nō po-
tuerunt, cum præsertim Tartarorum Rex,
qui

*Res in Tur-
cia gesta.*

qui

Anno qui cum triginta armatorum millibus circa
1627. ca. limites excubabat, nedum suppetias illis tulisset, sed cum Croatis contra Turcas arma coniunxisset.

*Propositio
in Comitiis Provincialibus Bohemicis Pragæ exhibita.*

Celebrabantur hoc tempore comitia Provincialia Ordinum Regni Bohemici, in quibus S. Cæsar. Majest. Ordinibus significari curavit: Constituisse nempe M. S. vt Seren. M. S. vxor D. Imperatrix 21. mensis Nov. qui præsentationi B. Mariæ Virgini sacer, vt & filius Primogenitus corona Regia Bohemica coronarentur, & ijs regni Bohemici insignia tribuerent; Mandare proinde, vt die coronatione præcedente Primogenito suo Filio, homagium tanquam naturali & hereditario Domino suo, præfente M. S. iuxta tenorem novæ Pragmaticæ Sanctionis Provincialis, præstent, Regia vero Majest. Filius Maj. S. Cæs. per reuerfales solennes caveat, sese M. Cæs. in humanis agente, administrationis regie habenas non suscepturum. Quatuor vero Ordines Regni Bohemici nonnullos è suorum ordine eligere teneantur, qui regia insignia, coronam nempe, sceptrum, & orbem Regium, custodiant, & solleannia, vsitataq; munera Regiis in coronationibus offerri solita, constituent. Præter hæc etiam sumptuum exercitui Friedlandico, præfidiarijs Pragen-

Pragensibus, & castellorū limitaneorum, Anno
 vt & arcis & templi Cathedralis Pragensis 1627.
 Legationis Cæsareæ ad portam Ottoma-
 nicam ablegandæ & munerū eo deportan-
 dorum nomine, singulis tribus mensibus
 200000. florenos exsoluant: æqua tamen
 lance exigantur contributiones illæ, nec
 pauperiores plus equo conferre teneantur.
 Prospiciant etiam, qua ratione viduis &
 pupillis, qui fidei causa provincia exire te-
 neantur, satis fieri possit: vt & in comi-
 tijs provincialibus sub D. Matthia habitis,
 promissa debitorum solutio re ipsa præstari
 queat: & vicinorum Principum Boiariæ
 Saxonie, Brandenburgici & Palatini præten-
 siones, erga regnum Bohemicum, pacifice,
 absque vltiori contentione componi,
 & tolli: Quo modo navigationes etiam ex
 hisce oris, versus Leutmeritziam, Hambur-
 gum, & in ipsum Oceanum constitui pos-
 sint: Præter hæc venatione maiorum fe-
 rarum, in primis cervorum abstineant: His-
 ce igitur cognitis Quatuor Ordines regni
 Bohemici Seren. Imperatrici, Seren. po-
 tentissimoque Principi, Hungariæ & Bo-
 hemiæ Regi sumptuum in coronationem
 regiã nomine 50000. Imperiales thaleros
 obtulere, Principi etiã ab Eggēberg 10000.
 thaleros Imperiales, & Principi à Lob-
 kovitz

Anno 1627. kovvitz supremo Cancellario, & eius Vice Cancellario, Secretario, & reliquis scribis qui Cancellariæ inserviunt, 12000. supremo Burggravio D. Adamo à Wallenstein 5000. flor. supremo Secretario Provincia- li, ob reædificationes domus 4250. flor. numeraturos sponderunt.

Coronatio Regina Bohemia. Exorta ergo die, regiæ Coronationi destinata, omnibus Legatis, Principibus, Comitibus, Nobilibus, & alijs, qui coronationi adesse debuerent, vt hora septima matutina Cæsar. M. adventum præstolarentur, & Sereniss. Imperatricem in templum deducerent, mandatum: quod subsequenti ordine factum.

Ordines Regni Bohemici, Cubicularij & reliqui Aulici Cæsarei, iuxta cuiusque dignitatem, & præminentiam Invicte. & Potentissim. Imperatorem, D. Ferdinandum, & Sereniss. Imperatricem præcesserunt, quos subsecuti sunt Secretioris Consilij Cæs. Adfessores, aliique Cæsar. Consiliarij, Illustr. Principes Augustus, Comes Palatinus Dux Neoburgicus & Sultzbacensis, & Dux Wirtenbergicus, Reu. & Illustr. Cardinalis, Princeps à Liechtenstein, qui omnes in templo S. Cæs. Majest. proximiores fuere, & quidem Nuncius Apostolicus dextram, Orator vero Hispanicus si-

cus sinistram S. Cæs. Majest. occupavere; Anno
Subsecuti sunt hos Comes à Meggau, S. 1627.
Cæs. Majest. suprem⁹ Aulæ præfectus, Au-
rei velleris torque, & sceptro Præfecturæ
Aulicæ insignis: Feciales quinque Imperia-
les, sui ordinis indumentis conspiciendi,
Comes Solmensis cum sceptro Imperiali,
Comes à Furstenberg, cum Imperiali orbe
aureo, Comes à Mansfeld cum pulvinari
aureo cui sub Evangelii recitationem Co-
rona Imperialis imponebat, Ioannes Chri-
stophorus Baro à Barr, Aulæ Cæsar. Mare-
scallus cum ense evaginato; Incessit post
hos Regia Hungariæ Majestas, Aurei velle-
ris torque redimitus, & S. Cæs. Majest. ha-
bitu Imperiali & corona venerandus. Po-
ne subsequebantur Sacri ordines, Prælati,
& Cardinalis ab Harrach, Pontificalibus
indumentis conspicui, Bohemiæ Satrapæ, &
Ordines, D. Vratislaus supremus Provinciæ
Secretarius sceptrum regium, Dominus à
Tallenberg supremus Provinciæ Iudex or-
bem aureum, & Dom. à Wallenstein, su-
premus regni Burggravius, coronam regiã
gestâtes: & ipsa Sereniss. Imperatrix, à duo-
bus Episcopis deducta, à tergo subseque-
batur suprema Aulæ Imperialis Præfecta,
& Gynæceum pretiosissimis vestibus con-
spicuum. Post hæc templi fores occlusæ,

Anno 1627. quatuor signis peditum, & duabus turmis equitum Cataphractorum vna cum civibus & præfidiariis in foro, aliisque vrbis locis excubias agentibus. In templo vero, ante S. Cæs. Mai. à dextris solium regale magnificentissime exornatum, paulo vero inferius alterum Regiæ Majestatis solium amplissimum, in medio vero ante ipsum altare alia pari magnificentia adornata erecta fuere. Ex adverso sinistrae manus præfati Domini Legati, & Rever. Cardinalis à Dietrichstein, à dextris autem iuxta Chorum, reliquorum Principum, & Legatorum Silesiacorum, solia erecta. Gynæceo in porticu iuxta Oratorium Cæsareum locus datus ambulatoria vero intra & extra templum usque in Domum Provinciale m panno rubri & candidi coloris instrata. Serenissimis Principibus, Divi Imperatoris Filiabus in ratorio Cæsareo, locus assignatur.

Postquam vero S. Cæs. Majest. solium Imperiale occupasset, paulo post ante altare in genua prostrata, vt Majest. S. coniunx, Sereniss. Imperatrix regia corona Bohemica redimeretur, petiit, quo peracto, & S. M. ad solium suum, regrediente, Seren. Imperatrix, duobus Episcopis, & S. Georgij Abbatissa Principe, ad altare deducta, à Cardinali ab Harrach sacro oleo inuncta, post

post altare aliis vestibus exornata, ad solium suum reducta est. Anno 1627. de exorto, & epistola decantata Seren. Imperatrix rursus ad altare deducta, & à Principe S. Georgij Abbatissa, corona regia, coronata: & regis insignibus exornata, ac demum post in solium suum reducta fuit, & hymnus S. Ambrosii musicis instrumentis, & viva voce, & æneatoribus resonantibus decantatus, à militibus etiam tormenta manuarum, & viginti quatuor maiora, displosa, campanis alte resonantibus, quod etiam Transsubstantiatione peracta pariter factum. Decantato igitur Evangelio, & Symbolo recitato, Sereniss. Imperatrix, duobus Episcopis comitata, & Principe Abbatissa S. Georgij subsequente, ad altare reducta, monetam auream obtulit. Sub tempus vero S. Synaxeos S. Cæs. Mai. itidem altare maius repetiit, & S. cœnam devotissimo percepit.

Omnibus vero Regiæ Coronationis ceremoniis peractis, Illustr. Comes ab Althan, Senior, cum Ill. Domina à Sternberg, Rever. Cardinale à Dietrichstein sponse matrimonio iunctus est felicissimo. Post hæc in Domo Provinciali epulæ magnificentissimæ instructæ, quibus S. Cæs. Mai. Imperialibus insignibus, corona, nempe,

G 3 orbe

Anno orbe aureo, & sceptro depositis, vna cum
 1627; Sereniss. Coniuge, Imperatrice, & Regia
 Hungariæ Majest. Reverendd. Cardinali-
 bus, Legatis, Comite ab Althan, & Sponsa
 Eiusdem, interfuere; Cum vero ex vete-
 ri consuetudine, coniujis eiusmodi regijs,
 supremorum regni Bohemici Præfectorū,
 supremi Burggravij, supremi Aulæ Præfe-
 cti, supremi Provincialis Camerarij, supr.
 Provincialis Iudicis, & supremi Cancel-
 larij coniuges adhibeantur, singulis earum
 mensa singulari instructa, & coniuges ea-
 rum convivio regio excepti fuerunt. Con-
 vivium hoc regium hora demū tertia po-
 meridiana finitum, comœdia acta, & ignes
 artificiosi in monte S. Laurentij incensi.

*Seren. Hüg.
 Rex regni
 Bohemici
 corona ex-
 ornatur.*

Postquam S. Cæs. Majest. Illustr. Ordi-
 nibus quatuor Bohemicis significasset, vel-
 le, vt M. S. Primogenitus, Ser. Hungariæ
 Rex, legitimus & naturalis regni Bohemici
 hæres, & successor S. M. die supra dicta,
 in Regem Bohemiæ coronaretur, Ordines
 prædicti, præsentē S. Cæs. Maiest. die co-
 ronationem Regiam præcedente, hono-
 rarium Maiest. Regiæ præstitere, & privile-
 gia eorum, vna cum Decreto Comitiorum
 Provincialiū Germanica & Bohemica lin-
 gua conscripto, prælecta, & à Regia Maiest.
 confirmata fuerunt: quo facto Ordines
 mor

more antiquo Majest. Regia 25000. thal. Anno
 Imperiales sumptuum in coronationem in 1627.
 sumendorum nomine, obtulerunt: Omnia
 interea in templo, extraque illud, ad cor-
 nationem Regiam peragendam necessa-
 ria, magnifice adornabantur, & exterorum
 Principum Legatis, Principibus, Comiti-
 bus, Baronibus, & Equestris ordinis viris,
 ut & Gynæceo Imperiali ut septima matu-
 tina subsequenti diei S. Cæs. & Regg. Ma-
 jest. adventum præstolarentur, & in tem-
 plum concomitarentur, mandatum.

Constituta ergo die Seren. & Potentiss.
 Hungariæ Rex Ferdinandus III, hora no-
 na ante meridiana, ab Illustr. Ordinibus
 Regni Bohemici à Palatio suo in templum
 summum & sacrarium S. Wenceslai de-
 ductus, & regio vestitu indurus est: Hinc
 S. Cæs. Majest. & Sereniss. Imperatrix pe-
 ri solennitate in templum deducta, præce-
 dentibus Cæsareis Cubiculariis, & aliis Au-
 læ ministris, juxta cuiusque dignitatis ordi-
 nem, & gradum: quos secuti sunt Secretio-
 ris Consilij Cæsarei Adseffores, & alij Con-
 siliarij Cæsarei, Principes etiam nonnulli,
 Princeps nimirum à Lobkovvitz, iunior,
 Duces Münsterbergensis, Briegensis, Li-
 gnicensis, Würtembergicus, & Neobur-
 gico-Sulbacensis, Comes etiam à Meg-
 G 4 gavy,

222
 222
 222
 222
 222
 222

21911

Mercurii Gallobelgici

Anno gavy, supremus Aulae Cælaræ præfectus,
1627. Post hos Legatus Catholicæ Regiæ Hispaniarum Maiest. Nuntius Apostolicus, Cardinalis & Princeps à Dietrichstein, & Feciales quinque solenni more vestiti, & insignibus redimiti; Hinc Ill. Comes à Solms, S. Cæsar. Maiest. Consiliarius bellicus, Camerarius, & Præsidiariorum Dux, sceptro Imperiali, Comes à Furstenberg, S. Cæs. à Consiliis Secretioribus, Camerarius, & Consilii Aulici Præses, orbe aureo Imper. Bruno Mansfeldiæ Comes, pulvinari aureo excipienda Coronæ Imperiali magnifice præparato, conspiciendi, Joann. Christophorus Baro à Barr, S. Cæs. Mai. Consiliarius, Camerarius, supremus Aulae Marefcallus, & hereditariarum Provinciarum Postæ Præfectus, cum gladio evaginato, S. Cæs. Maiest. proxime antecedeabant; Hinc ipsa S. Cæs. Maiest. Imperiali vestitu & corona insignis, Sereniss. Imperatrix, cum Filiabus duabus Principibus, suprema Aulae Præfecta, & Gynæceum, subsecutum. In templo ad dextram altaris duo solia magnificentissime exornata cum umbella, pro S. Cæs. Maiest. & Imperatrice Seren. in medio vero in vltum Regiæ Maiest. solium aliud cum umbella regali sumptu extructum. Legatis vero Principum, vt
Nun-

Nuncio Apostolico, Oratori Catholicæ Anno
Regiæ Hispaniarum Maiestatis, & Cardi- 1627.
nali à Dietrichstein, paulo remotius, ad
læuam altaris, Principibus ad dextram: Fi-
liabus Diui Imperatoris, vna cum suprema
Aulæ Magistra, in oratorio Cæsareo, Gy-
næceo in choro locus assignatus est. O-
mnibus igitur in locis assignatis constitu-
tis, Regia Maiest. subsequenti ordine in
S. Wenceslai sacrarium deducta est: Præ-
cedebant nimirum nouem Prælati ponti-
ficalibus indumentis conspicui, clerici mi-
nistrantes cum reliquijs, & quatuor Præ-
lati, cum Cardinali ab Harrach, Archie-
piscopus Pragensis, pontificalibus ornati,
Domini duo à Collobrath, quorum vnus
panem auratum, alter argento obductum,
Comites duo à Slabata, doliola duo in-
auratum, & argento obductum, defere-
bat; Hos sequebantur Comes Vratislaus
ensem regalem, Vratislaus supremus pro-
uinciæ Secretarius sceptrum regale, Do-
minus à Tallenberg, supremus prouin-
ciæ Iudex, & appellationum iudicij Præ-
ses, orbem aureum regalem, & Dom. A-
damus à Wallstein supremus regni Burg-
grauius coronam regiam, deferentes: Hinc
ipsa Regia Maiestas, habitu Bohemico ve-
stita, ab Episcopo suffraganeo Pragensi, &

Anno Cancellario Vngarico Episcopo Wait-
1627. zensi, deducta, Regiam Maiest. sequeba-
tur supremus aulae Praefectus Dominus à
Thun, Baro, Comes à Martinitz, cum alijs
aulae Proceribus.

Postquam vero Regia Maiest. ad altare
deducta fuit, & solium regale occupauit,
supradicti Domini regni insignia altari, &
doliola vinaria, cum panibus supra memo-
ratis mensae imposuere, Regia vero Maiest.
ante altare primo genibus flexis, post pul-
uinari inaurato incumbens, donec Litania
de omnibus Sanctis ad finem perducta
fuiſſet, oleo sacro iniuncta, eoque abluto,
ab Episcopis in solium regale reducta. Sa-
crum interea ab Cardinali ab Harrach per-
actum, & epistola absoluta Regia Maiest.
ad altare reducta, supradictis Regni Pro-
ceribus insignia regia manibus tenentibus,
regio gladio cincta, corona regia redimi-
ta, & orbis regius sceptrumque regium in
manu ei traditum, tandemq; in solio suo
regali rursus collocata fuit: Hymnus ve-
ro sacer Ambrosii, Te Deum laudamus,
musicis pariter instrumentis, & viua voce
decantatus, tormentis 24. maioribus dis-
pulis, campanisque omnibus, tympanis
& tubicinibus vbique resonantibus, quod
pariter sub eleuatione sacra factum. De-
canta-

cantato vero Symbolo S. Regia Maiest. Anno
 quatuor ex primaria nobilitate equestri- 1627.
 bus insignijs exornauit, & dolia supra me-
 morata, cum panibus obtulit, sacramque
 synaxim summa deuotione percepit. Tan-
 dem sacris omnibus rite peractis, S. Cæs.
 Maiest, & Sereniss. Imperatrix, è templo
 in domum prouincialem reducta fuit, &
 habitum Imperialem, & insignia, coro-
 nam orbem aureum & sceptrum deposuit,
 quod pariter à Regia Maiest. factum, &
 moneta aurea argenteaque, vt & vinum
 generosissimum candidi, & rubri coloris
 distributum. Hinc regale conuiuium in-
 structum, comœdia peracta, & ignes arti-
 ficiosissimi incensi fuerunt.

Sacra interea Cæs. Maiest. ex singulari *Propositiō*
 affectione erga communem patriam, & *Cæs. M. no-*
 Germanicam nationem, Legatos Lube- *mine Lube-*
 cam ablegauit, & ciuitatum Anseaticarum *ca proposita;*
 Commissariis ibidem congregatis, signifi-
 cari curauit, M. S. Cæs. nomine Hispania-
 rum Regis propositum fuisse, qua ratione
 communicatio mercimoniorum, & libera
 negotiatio inter Hispaniarum regna, &
 Germanicas ditiones commode institui,
 & exerceri posset. Sui ergo officij S. M. C.
 putare, vt Deputati commissarij mature
 habita deliberatione considerent, certo q;
 com

Anno constituent, quo pacto ista omnia com-
 1627. mode institui, & negotiationes inter v-
 trasque nationes exerceri possint. Susce-
 pturam etiam M. Cæs. ciuitates Anseaticas
 in Cæsareum patrocinium & defensionem
 erga vicinos, confirmaturam etiam & ad-
 aucturam earum priuilegia, & immunita-
 tes, quo hæc omnia facta tecta & salua per-
 maneant, & omnia absque vllius præiudi-
 cio & periculo administrari, & peragi pos-
 sint.

*Nienburgū
 Cæsareanis
 deditum.*

Virgent interea Cæsareani obsidionem
 vrbis Nienburgi, cuius præsidarij hæcte-
 nus, sed frustra oppugnationem sustinue-
 rant. Verum Limbachio præsidariorum
 Duce, fato functo, urbem Cæsareanis de-
 didere, & 16. Nou. quarta pomeridiana
 ciuitate sunt egressi; & curribus Verdam,
 Rotenburgam, & Buxtehudam sunt de-
 ducti, impedimenta nauibus auecta, &
 vrbi duo signa pedestria, cum equitibus a-
 liquot præsidio impositi.

*Res in Bel-
 gio gesta.*

Hoc etiam tempore Duinkerkanī na-
 uem magnam onerariam, cui 22. tormen-
 ta maiora imposita fuerant, in potestatem
 redegere, alia etiam nauis cum 14. tormen-
 tis capta & Ostendam deducta fuit.

Ordines vero confederatarum prouin-
 ciarum Belgicarum 27. Nouemb. ordinum
 quenz

quendam ductorem, Roterodamum, ca- Anno
 pite mulctari curauere, eo quod hosti re- 1627
 sistere non ausus, nauem, cui præfectus
 fuerat, præter voluntatem & consensum
 præsidiariorum hosti tradidisset.

Vrbs quin etiam Wolfenbutela, siue
 arx Guelphorum, cum aliquandiu Cæsa-
 reanorum impetum sustinuisset, deditio-
 nem fecit, & vrbs Principi Brunswicensi
 tradita, præsidarij vero cum impedimen-
 tis, signis expansis, funiculis ardentibus,
 globulis ore retentis, in locum tutum de-
 ducti fuerunt.

*Res in infe-
 riore Saxo-
 nia gesta.*

Septem etiam turmæ equestres Dano
 militantes, in Cæsareanorum partes transi-
 uere, signis etiam traditis, cui accessere tres
 turmæ aliæ, qui pariter Cæsareanis nomina
 dedere.

Comes interim Anholtinus in Episco-
 patu Bremensi 19. turmas equestres, cen-
 turionibus fuga dilapsis: vt & fortalitium
 Schvvinge dictum: in deditioem recepit.

Recruduit hoc etiam tempore bellum
 inter Polonos, & Svecos, & quidem naues
 sex Suecicæ ad portum Dantiscanum ex-
 cubias agebant, ne quid in urbem impor-
 tari posset. Ad harum impetum auerten-
 dum naues Dantiscanæ, cum aliquot Re-
 gibus tanto impetu eas aggressæ sunt, vt con-

*Conflictus
 inter Pola-
 nos, & Sue-
 cos.*

lictu

Anno
1627.

fluctu inter eas exorto quatuor fuga dilapsis, Admiralem autem & Viceadmiralem in potestatem redigerent. Constituerat quidem ViceAdmiralis incendio nauem, cum omnibus, qui in ea erant, delere, sed eo, cui in mandatis id datum fuerat, dum illud exequi conatur, tormenti ictu occumbente, viuis in potestatem Dantiscanorum peruenit, sed paulo post, sacra percepta Synaxi occubuit: Apud hunc multa magni pretii Cimelia, & literæ variæ repertæ, Dantiscani vero victoria signi sunt potiti.

Obsidio Rupellana.

Perdurante hoc tempore obsidione Rupellana, Galli magna virtute in Anglos impetum fecere, & occidione fere deleuere, qui fortalitio S. Martini relicto, desideratis è suorum numero 1500. amissisque 35. signis, tormentis quatuor, & viribus nauibus, in Insulum de Lovje, primum, in Angliam deinde transiere: quo etiam Dux de Buckingham Dominum de Soubise, febre adhuc laborantem, abduxit. Hinc maiori vi Rex Rupellanos aggressus, & opera Pompeii Targoni architecti, portum catena, & nauibus intercludere conatus, fortalitium cellæ vinarie custodiendæ extructum, in potestatem redegit, & præsidio trecentorum Helvetiorum militum munivit.

Dux

Dux interim de Montmorentzi, Ducis Anno
 de Roan copias aggressus, 1200. ex iis fu- 1625.
 dit, bona vero eius confiscata, Rex Duci
 Condæo donū dedit: Qui ex aduerso Co-
 miratum de Foix in potestatem redegit, &
 cum copiis Monbrunnii arma sociare. Hinc
 urbem Monspeliensem astu intercipere co-
 natus est, precio in eam rem Ordinum du-
 ctori, qui in vrbe excubabat constituto: ve-
 rum re detecta, vrbis Gubernator eruptio-
 ne facta, nonnullos ex copiis suis cædit, &
 tormenta aliquot in urbem asportauit.

Rupellani interim eruptione tentata,
 centum è suis amissis, & 60. captis, in vr-
 bem repulsi sunt. Cardinalis vero de Ri-
 chelieu nauibus quatuordecim portum
 obstruere est conatus: Annonę interim pre-
 tio in vrbe quotidie augescente, deficiente
 comæatu.

Sub finem mensis Decembris Mantuæ
 Dux fato functus, cognatum suum Ducem
 de Nivers hæredem reliquit: Huius igitur
 filio Duci di Rivel vrbs Mantua, vt & Mōt-
 ferratum aliæque vrbes homagium præsti-
 tere, ipse vero Ducissam Mariam Ducis
 Francisci Mantuani, & Margarethæ Sabau-
 dæ Filiam, matrimonio sibi iunxit.

Hoc quoque tempore Illust. Eques Rei-
 nardus Zen, Eques, Senator Reip. Ve-
 netae,

*Obitus Du-
 cis Man-
 tuani.*

*Reinardus
 Zen Eques
 & Senator*

Anno
1628.
*Venetus
occisus.*

*Res Angli-
ca.*

*Fridlandia
Dux de
Principatu
Megalopo-
litano in-
uestituram
recipit.*

*Exercitus
Caesareus
in Frisiam
Orientalem
irrupit.*

netæ, qui Illustriss. Reip. nomine ad di-
uersos Christiani orbis Principes Orator an-
te hac missus fuerat, dolo Georgii Corne-
ri Patritii Veneti, in ipsa Curia, dum è Se-
natu egreditur, nefarie occisus est: Author
vero homicidii istius fuga elapsus à Senatu
nobilitate & omni dignitate per senten-
tiam iudicalem priuatus, bona eius confi-
scata, & in necem eius decem coronato-
rum millia sunt constituta.

Angliæ interea Rex summo studio quæ-
que necessaria ad bellum in primis vero
classem maritimam præparauit, portus suos
maritimos, præsiidiis muniuit: terræ motus
etiam palatium regale grauiter concussit,
nauesque duæ regio tempestate absorptæ.

Fridlandiæ Dux sub initium huius anni
à S. Cæs. Majest. S. Romani Imperii Dux
est creatus, & de Ducatu Saganensi ac Me-
galopolitano est inuestitus: hic exercitum
centum & quinquaginta millium proxi-
mo vere instructurum, in se recepit.

Cum vero sub hoc tempus Cæsareani in
Frisiam Orientalem irrupissent, & portum
de Greis occupassent, aliaque nonnulla loca
in potestatem rede-gissent, Embdani autem
præsiidarios ex vrbe deduci, ab Ordinibus
Belgicis confederatis efflagitassent: Ordines
re maturius considerata, præsiidarios

non

non solum ex urbibus non deducendos, Anno
 sed numerum eorum potius augendum 1628.
 esse constituerunt: eumque in finem Co-
 mes Ernestus Casimirus Embdam se con-
 tulit, & fortalitium è regione urbis, Nester-
 land dictum, ad urbem defendendam ex-
 trui curavit.

Rex Daniæ etiam hoc tempore bellum *Res in Sa-*
 contra Cæsareanos magna vi instaurat, mi- *xonia infe-*
 litibus stipendium dinumerando, & anno- *riori gesta.*
 nam conuehendo, signaque noua confici-
 endo: Capti interim Ordinum ductores
 Conradus Nellus & Calenbergius, ab Co-
 mite à Schlik Pragam deducti, in hospitio
 ad insigne quatuor campanarum, custodia
 traditi, ineunte vero mense Februario 95.
 signa militaria, Danis erepta S. Cæs. Maiest.
 repræsentata, & ante hospitium Illustris.
 Principis Ducis Friedlandiæ expansa tym-
 panis sonantibus ab primariis ciuibus de-
 portata fuere. Nec minori cura Cæsareani
 exercitus instructi, qui sub initium huius
 mensis Intulam Femeram in potestatem S.
 Cæs. Mai. rede gere.

Hinc urbem Stargardam Pomeraniæ
 Duci subditam, sui fecere iuris; Osnabrug-
 ga vero præsidiarios Cæsareanos 3000. ad-
 misit.

Dani interim 25. Febr. septem armatis

H nauis

Anno
1628.

navibus, arcem Sambergam, cui centum milites Cæsarei præsidio impositi fuerant, intercipere conantes, subita exorta tempestate, submersi periere.

Lubecæ interea Commissarii Cæsarei, congregatis Anseaticarum ciuitatum Legatis, 23. Febr. significarunt: S. Cæs. Maiest. summa ope in hoc vnice ab ineunte Cæsareo suo regimine, incubuisse, vt subiectarum sibi prouinciarum & ditionum comoda promoueret, impeditam vero hactenus vi & conatu hostili suorum subditorum, qui ab enormissimo scelere rebellionem suam exordientes, Turcæ, eiusque vasallo sese coniungere voluissent, eumq; instigassent vt numerosissimo instructo exercitu, Poloniae regnum, vt & Austriam, Styriã, & circumiacentes regiones, ipsamq; Metropolin Viennam hostiliter depopularentur, quod & factum, & millia aliquot Christianorum occisa, & miserrimam in seruitutē fuerint abducta, promisisse quin etiam Austriam, Styriam, Carinthiam, & incorporatas ditiones, & urbem Viennam regno Vngariæ coniungere, & Turcico vasallo prædicto sese tradituros, Turcæ vero per regnū Bohemiæ in ipsam Germaniam, eiusque viscera, & transitum liberrimum cōcessuros, 50000. Thaler. Imperiales annuatim

nuatim exsolutores, & parta victoria auxi- Anno
lio futuros, quo debellatis Hispanorum, & 1628.
aliorum Principum & Rerumpublicarum
Italicarum classibus, totum mare mediter-
raneum in suam redigeret potestatem. Ve-
rum cum hæc omnia ex singulari Dei pro-
videntia eversa fuerint, S. Cæs. Maieft. par-
tis diuina clementia tot præclarissimis vi-
ctoriis, sua consilia eo dirigere clemen-
tissime constituisse vt præsens tractatio
& communicatio negotiationum, & nauig-
ationum instituatur, & peragatur, quo ad
optatum finem illud perducere possit. Præ-
ter hæc considerandum ipsis esse, ipsos
ab Anglis priuilegiis & immunitatibus
magno labore & cura partis, de facto spo-
liatos, & monopolia instituta, qui negotia-
tionem pannorum Anglicorum sibi solis ven-
dicassent; eandem esse rationem transitus
Danici, Sund vulgo dicti, qui nihil aliud,
quam frenum, & capistrum, quo Germa-
narum Anseaticarum Ciuitatum robur co-
erceatur. Hisce igitur maturime ab his con-
sideratis, sperare S. Cæs. Maieft. Ciuitates
Anseaticas omnia, quæ in suam, suorumq;
utilitatem vergant, & negotiationum feli-
cem successum spectant, amplexuros, &
conclusuros fore. Confirmaturam vero S.
Maieft. ea omnia quæ hac ratione cum Hi-

Anno
1628.

spaniarum Rege pertractentur, effectus
ramque ut illa pariter ab prædicto Rege le-
gitime confirmentur.

*Rebellio Ru-
sticorum
Bohemico-
rum.*

Rustici interea aliquot Bohemici, Do-
mini à Tertzkii subditi, rebellionem no-
uam in Bohemia excitarunt, verum à mili-
tibus Cæsareanis oppressi, capti nonnulli,
aliquot occisi & supplici affecti fuere.

*Stralsunda
Cæsareanis
tradita.*

Cum vero sub hoc tempus Dominus
Arnhemius ordinū ductor, Insulam Den-
holmiam, prope urbem Pomeraniam
Stralsundam, occupasset, ciues Stralsun-
dani eruptione facta, aliquot ex Cæsarea-
nis neci dedere, verum in urbem repulsi,
urbem Cæsaris arbitrio permittere, coacti
sunt.

*Aurifodina
in Granata
reperta.*

In regno Granatæ hoc tempore aurifo-
dina nouiter fuit reperta, cuius inuentori
primo amplissima præmia ab Hispaniæ Re-
ge fuere constituta.

*Portenta &
monstra.*

Insignis hic annus monstris & porten-
tis, vbivis fere locorum à Deo Opt. Max.
immissis. Sunderburgi in Pomerania, tale
ostentum visum. Cælum apertum, & ex-
ercitus à Septentrionis partibus prodire vi-
sus, & quidem priores hastati, & sclopeta-
rij, post impedimenta & tormenta belli-
ca, quorum agmen equites claudebant:
alter exercitus ex aduersa regione progres-
sus,

fus, congregari inuicem visus, sed septentrionali victoria cessit. Tandem vero trabs ignea exercitum septentrionalem victorem subsequi, & radios igneos emittere visa fuit: quæ ostenta ad horas aliquot perdurarunt. Anno 1628.

Vndecimo vero mensis Martij, hora matutina quinta, paupercula quædam in pago Bischeim prope Argentinam monstrum tale genuit: Erant scemellæ duæ corporibus coniunctæ, exterioribus membris manibus pedibus & capitibus integri, verum ambabus vnicum tantum cor, & pulmo vnicus visebatur.

Pacis interim tractatio inter Polonos & Suecos restituta. Sueci enim duorum annorum inducias à Polonis petiere, verum cum Dantiscanos ab hac pace excludendos arbitrarentur, & negotiationem in fluuio Vistulæ Pilaiam versus instituendam & telonium in fluuio prædicto exigendum censerent, frustranea fuit tractatio. Mensium vero quatuor induciæ concessæ.

Pacis tractatio inter Polonos & Suecos.

Exorta hoc tempore controuersia inter Senatam, & ciues Lindaienses, milites Cæsareani quingenti urbem in potestatem redegere, ciues armis spoliarunt; qui Episcopo Constantiensi, & Comiti à Mont-

Lindauia à Casareanis occupatur.

Anno fort, nomine S. Cæs. Maiest. homagium
1628. præstitum fuit.

Transylva-
nia Princeps
belli appa-
rat. Transylvaniæ interim Princeps bellum
hoc tempore adornare ferebatur: sed hæc
vltiori narrationi reseruantur, finem hisce
imponimus.



III
OI
OII
INDEX

MEMORABILIVM,
QVÆ HOC OPVSCVLO
continentur.

A rticuli pacis propositi inter Cæsarem & Danos.	57
Inter Polonum & Suecum.	117
Aurifodina in Granata reperta.	116
Bellum Gallicum.	86
Bohemia regis coronatio, 102. & regina. 16.	
Cause quibus ordines Brunsvicensis permoti in Cæsaris fidem se contulerint.	33
Cæsar Pragam proficiscitur.	71
Cardinales creati.	73
Conuentus Mühlhusinus.	75
<i>Vratislaniensis.</i>	70
	<i>Dilu.</i>

INDEX MEMORABIL.

<i>Diluvium in Franconia.</i>	19
<i>Friedlândia Dux de Principatu Megapolitano inuestitur.</i>	112
<i>Lindania occupata.</i>	117
<i>Litera Secretarij Limbachiani intercepta.</i>	
62	
<i>Cesaris ad Ducem Wirtembergicum, 83. Frederici Palatini ad eundem.</i>	84
<i>Mandatum Cesareum contra concionatores & ludimagistros Evangelicos.</i>	21
<i>Mantuani Ducis obitus.</i>	111
<i>Nyenburgum deditum.</i>	10
<i>Obsidio Rupellana.</i>	110
<i>Ostentum in Hungaria. 72. Et monstra.</i>	116
<i>Pax inter Imperatorem, & Turcam.</i>	3
<i>Propositio Lubeca habita. 107. Müllhusina. 76</i>	
<i>Pugna inter Polonos & Svecos. 56. 89. 109</i>	
<i>Rebellio rusticorum Bohem.</i>	116
<i>Reinh. Zen occisus.</i>	111
<i>Res geste inter Casarem & Danos. 58. 87. 92. 109. 113. In Belgio. 74. 94. In Italia. 73. In Gallia. 70. Anglia.</i>	112
<i>Stralsunda Cesareanis dedita.</i>	116
<i>Supplicatio rectorum Eccles. Evangel.</i>	27
<i>Tempesta Nissa.</i>	18
<i>Transsylvanus bellum apparet.</i>	118

FINIS.


INDEX MEMORABILIS

17
 18
 19
 20
 21
 22
 23
 24
 25
 26
 27
 28
 29
 30
 31
 32
 33
 34
 35
 36
 37
 38
 39
 40
 41
 42
 43
 44
 45
 46
 47
 48
 49
 50
 51
 52
 53
 54
 55
 56
 57
 58
 59
 60
 61
 62
 63
 64
 65
 66
 67
 68
 69
 70
 71
 72
 73
 74
 75
 76
 77
 78
 79
 80
 81
 82
 83
 84
 85
 86
 87
 88
 89
 90
 91
 92
 93
 94
 95
 96
 97
 98
 99
 100

F A H I S







B6.6.137(16,1-4.)

X 260 9080

ULB Halle


3


006 790 518



VD 17

K






B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



MERCVRII GALLOBELGICI,
M. GOTARDO ARTHUSTIO p. m. Suc-
CENTVRIATI,

Sive

NERVVM IN
ALLIA ET BELGIO PO-
SSIMVM; HISPANIA QVOQVE,
ALIA, ANGLIA, GERMANIA, VNGA-
ia, Transylvania, vicinisq; locis, à nundinis Francofor-
diensibus 1627. autumnalibus, ad vernaes
vsq; anni 1628. cum primis gestarum,
HISTORICÆ NARRATIONIS

continuata,

**TOMI DECIMI SEXTI,
LIBER QVARTVS.**

Verè & fideliter conscriptus per
GEORGIVM BEATVM Fr.
Ph. M. & Not. publ. Cæsar.
Cum S. Cas. Majest. Privilegio Speciali.



FRANCOFVRTI,
Sumptibus vidua Sigismundi Latomi, Anno 1628.

